3

ADVERSVS IACOBI SYLVII DEPVLSIONVM ANATOMICARVM CALVMNIAS,

pro Andrea VESALIO Apologia:

In qua præcipuæ totius negotij anatomici pene controuerſiæ breuiter explicantur,

Renato Henero Lindoenſe Medico authore.

Additus eſt & ipſe Iacobi Syluij Depulſionum libellus, quo æquus lector commodius de omnibus iudicium ferre poſsit.



3

BIBLIOT. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CVM PRIVILEGIIS.

VENETIIS, M. D. LV.

IN SYLVIVM,

IO. FVXII VELC.

IAMBICVM.

Οτῳ ἔστ' ὁμοιμώσω σ' ἐρωτᾷ Σύλβιε;
Καὶ τοι δ' ἐρωτῶν μηδὲν οὐκ, ἀκοῦ ὅμως
Σαπρᾷ σ' ὁμοιόω ποδάγρᾳ Σύλβιε
Τίνι τρόπῳ τὸ γίγνεται νοήσεις.
Αὐτὴ, ποδάγρας τῆς κακῶς ὀλουμένης,
Ἐστὶν φύσις, τοὺς ὄντας ἥρωας πότε
Δαμαζέμεν, φεύγειν δὲ τοὺς κατωτάτους.
Πάσης ποδάγρας ὡς σὺ κομβωδέστατος.
Πέλεις, ὁ τὸν Βεσάλιον κοσμήτορα
Ἀλλων ἰάτρων, κἀνατομίας ὄρχαμον
Φέγγοντα, ποιεῖν οὐκ ὥστ' ὤπλαι Γαλλία
Βλάψαι δοκεῖς, τοὶ κἀπερισκέπτως ἄγαν.
Ἀλλ' ὥσπερ ὁ φθόνος σοφοῖσι κἀγαθοῖς
Αἰὲ μὲν εἵνεκα κλεοῦς ἀλγυνέται.
Ουτως ἀρετὴ ταύτους σωτήρως ἔχει
Αὖθις διαβολίας τιμωροῦντας κάκης.
Ὁποῖον ἔθεν ἀπερφέρει πανέρωτος
Ῥηνάτος Ἕνηρος διὰ τούτου βιβλίου,
Ἐν ᾧ δεδέρμεσόν σε τοσοῦτον θέτο
Ως Μαρσύας πλέον ἐνδεδυμένος δοκεῖν.

GENEROSO

Digitized by Google

GENEROSO ET NOBILI, VIRO IACOBO TRAPPO IVNIORI, BISINAE ET Churburgæ Domino, domino ſuo colendo.

Renatus Henerus Medicus S. D.

TAM SVNT deprauata hodiè ingenia Trappe generoſe, vt ſi quem ſemel ſibi imitandum ſuſceperunt, eum tanta pertinacia,ea ſuperſtitione colant, vt quicquid ſcripſerit, tanquam Tripodis oracula, quodam animi motu peruerſo non ſuſpiciant modo ſed obſtrictiſſimè venerentur, nec quenquam à falſis vera, à perperam dictis recta, maximo ſanè rerum publicarũ detrimento, ſecernere patiantur. Quod ſi quem diſertius, diligentius,aut verius,de quadam,ſiue Philoſophiæ,ſiue aliarum artium parte ſcripſiſſe intelligunt, huic non auſcultãdum, aures præbendũ, quidque is doceat (priuſquàm de ijs iudicent) diſcendum, ſed conuitiorum plauſtris dilacerandum protinus cenſent: ne ſcilicet tanto tempore male ſenſiſſe videantur.

Digitized by Google

Tametſi vero rationibus & experientia deſtituti, ea, quibus priuatim offenduntur, confutare non poſſunt, tamen rei fauorabili patrocinari tentant calumnijs impotentibus, pietatis longè maximum titulum inde expectantes, dum pro veteribus, pro ſuis neſcio quibus Dijs, tanquàm pro aris & focis ad rauim vſque depugnarint. Neque ſanè intelligunt ij veritatem eſſe quã tueri debeant, non veteres ſiue Medicos ſiue Philoſophos, niſi quatenus huic conſentiunt. Quibus ipſis hac vna nihil fuiſſe antiquius qui aliter ſtatuit, tam Philoſophi quàm Medici & officio & dignitate eos ſpoliat: tantum abeſt vt ſuo in ipſos affectu quicquã pietatis nomine promereatur. Id autem tum maximè vſu venire ſolet, quũ autoritates potius quàm rationis mométa quæruntur. Qua re quod in diſputãdo & veritate indagãda nocẽtius ſit, hactenus vſus neſciuit. Eorum.n.autoritas, vt alibi Cicero non ineleganter inquit, qui ſe docere profitentur, tum in primis obeſt ijs, qui diſcere volunt, quum ſuum deſinũt iudicium adhibere: id autem ratũ habent, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident. Quod mehercle ſi vſquàm aliàs, tum vero Syluio viro alioquin docto in Galeni (veluti ipſe ſibi perſuadet) iniurijs propulſandis, longè euidentiſsimè accidit. Quem quoniã ſibi perſuaſit eſſe (id quod nemo vnquã alius negauit) Medicinæ poſt Hippocratem facilè principẽ, protinus iudicio abiecto

cto omni, experiētiæ oculisque & ſenſibus ſuis, vniuerſa fide mordicus abrogata, eum nulla vnquam in re, vt hominem, erraſſe, aut quicquam memoriæ prodidiſſe perperam aſſirmare audet. Tantum penes hunc valet opinio præiudicata, &, perinde atque olim apud Pythagoreos, ſine ratione autoritas. Iam ſi quis uiſus aut experientiæ iudicio firmatus Galenum, nonnullis in locis aut ſimiarum texuiſſe hiſtoriam, aut humana parum rectè proſecutū eſſe corpora: aut ex alijs quales fuerūt: Herophilus, Marinus, Eudemus, Lycus, ſuam congeſsiſſe Anatomen: denique aut ipſos codices anatomicos eſſe vel corruptos vel prorſus ſpurios, ſcribat, quicquid horum attingitur, illi vlcus eſt. Hinc in Veſalium præceps tanto fertur impetu, tot conuitijs virum bonum & eruditum exagitat, ſuæ neque ipſius ob ſeniū venerandæ ætatis, neque aliorum piarum caſtarumque aurium, &, quod maximum eſt, immenſi rerum Opificis, vllam rationem habens. Vrit hominem, Veſalium (quanquàm id diſsimulet) ſibi præripuiſſe ſcribendi occaſionem. noménque fruſtra ſperatum ad hunc ipſum diuertiſſe tam dolet, vt nihil perinde in votis habere videatur, quam huius immenſiſsimos vtiliſsimosque labores, quibus toti orbi penè inſeruiuit, eſſe omnibus quàm odioſiſsimos. Quāquā vero Opus ipſum ſe cuiuis ſaltem cor habenti abundè commendet, vt neceſſe nō ſit pluribus id demonſtra-

re

re verbis; tamen mei officij eſſe putaui, aliquid hoc loco pro vero dicere, cum quod natura ad id ſequendum trahat, tum verò quod magni exiſtimem intereſſe ad iuuanda & retinenda Anatomes priſtinæ ſtudia, Veſalij libros, ab inuidorũ calũnijs impijſsimis vindicari, ſtudioſisq́ue veritatis eo diligentius commendari. Eoq́ue me minus inſtituti mei pœnitet, quo plures me nõ modo ad veri inueſtigandi cupiditatem, ſed etiã ſcribendi ſtudium commoturum ſentio. Ex his fore quoſdam auguror, nec diſido, qui non minus hac noſtra Apologia, quàm Veſalij ipſius libris offenſi, quod non per omnia Galeno conſentiamus, reprehendent. Qui ſi nos ceu inuidi vituperatores inimicius inſectati fuerint, eodem ſtudio nobis repellendi erunt; ſin admonebunt, ita amicè & familiariter cum illis cõuerſabimur, vt nos nõn tam ad id obtinendum quod ſentimus, quàm diſcendum quod ignoramus, natos intelligant. Galenus quidem magnus fuit, atque diuinitus ad excolendam exornandamq́ue Medicinam excitatus, ſed tamen hunc ceu hominem aliquando labi potuiſſe cogitãdum illi erit, qui veſtigia Syluij ſequi, Galenumq́ue per omnia abſolutiſsimum pronunciare voluerit. Cæterum vt omni tandem me inuidia liberem, dicam breuiter quod res eſt, me ad hoc ſcribendũ, neque Veſalij amore (quem certè meis oculis nunquàm vidi, ſed tamen hanc meam operã, vel veritatis nomine,

mine, boni conſulturum ſpero) neque Syluij odio (cui tanquam præceptori multùm debeo) ſed ſola rei indignitate, & veritatis defendendæ ſtudio, compulſum eſſe. Neque vero vnquam in meos Præceptores tam fui ingratus, vt non Syluio potius quàm Veſalio in omnibus Anatomen ſpectantibus libens adſentirer, niſi hunc veritati, illum autem inuidiæ proprioque affectui in plæriſque locũ dediſſe deprehenderem. Quãobrem mihi tum Syluiũ ipſum, tum vero ſuos Diſcipulos, quorum ſtylos Veſalio ſæpius iam minatus eſt, æquiores nonnihil futuros ſpero, potiſsimum cùm intelligant, me, Galeni quacũque in parte, id ſaltem ſalua veritate fieri poteſt, ſtudioſiorem obſeruãtioremque eſſe neminem. Muto autem hanc meam Apologiam de te nobiliſsime vir, cum quod te hiſce ſtudijs Anatomicis, uti omnibus cæteris vniuerſæ Philoſophiæ partibus, in quibus tu etiam, nec ſine doctrinæ laude, iã inde à puero diligentiſsimè exercitatus es, fautorem & Mecœnatem ſingularem & vnicum eſſe, ex conſanguineo meo Vlrico Kvayero Medico præſtanti, tuique ſtudioſiſsimo homine cognouerim, tum vero vt aliquod meæ in te obſeruantiæ & amoris teſtimonium extet publicum. ex quo meam in te voluntatem & animum candidum tu perſpicias quidem, cæteri verò quantum à me fias, quantumque ob Trapporum Domum & geſta illuſtriſsima, tuam deni-

que

que ipſius, quod raris hodiè contingit in tuo cō ſtitutis loco, eruditionem,& peculiarem in Medicinæ ſtudioſos fauorem, meritò fieri & celebrari debeas, planius intelligant. Offeret ſe fortaſsis aliquando, Deo fauente, occaſio quædam vberior & commodior,copioſius de clariſſima & nobiliſsima Trapporum Domo, & heroicis virtutibus, dicendi; Quo loco quod nūc paucis verbis attingo, me, & reipſa exiſtimare, &, quod pollicitus ſum cumulatim præſtitiſſe ſenties. Interea hoc quicquid eſt,muneris,hilari & exporrecta frōte vt excipias, te etiam atque etiam rogo. Vale. Pulſani tertio Idus Nouemb. Anno Chriſti M. D. LIIII.

RENATI

RENATI HENERI LINDOENSIS MEDICI,

Aduerſus Iacobum Syluium, pro Andrea Veſalio, APOLOGIA.

ANNVS iam eſt tertius, quo Lutetiæ cùm eſſem, Syluius ſuum illud aduerſus Andream Veſalium virulentū euulgabat ſcriptum: ſcriptum tragicum & contumelioſum, viro vt annis & laboribus iam cōfecto non dignum, ita homine alienæ gloriæ inuidente digniſsimum. Quod quum ego, communi tactus veritatis amore iniquius (prout certè debebam) ferrem, non potui non, quale id tandem eſſet, tametſi pleriſque paulò cordatioribus iam abundè teſtatum ſcirem, paucis declarare, illiſque maledicentiſsimis Depulſionibus ἀντιλογῶν. Ad quod quidem meum inſtitutum non me parum iuuit libelli ipſius leuitas, & ſumma rationum, quibus paſsim vſus eſt, inconſtantia. Neque enim iſto ſuo ſcripto Syluius, ſi titulos excipias, depellit aut amolitur quicquam, niſi tum fortè illum depellere contendas, dum neſcio quibus friuolis rationibus, quod veteres Anatomici malè ſcripſerunt, aut hos legendo is perperam intellexit, tuetur, ac dentatis chartis felices aliorum arrodit labores. Quod cùm omni ætate fuerit homini ingenuo turpe, tum verò longè turpiſsimum eſt Syluium id facere, virum ætate grauem, doctrina ac eruditione, vt ſe haberi & vult, & ob eruditionem haberi debet, præſtantem. Qui ſi antea vnquam, nunc certè ſtyli mordacitatem & vehementiam frænare debuiſſet: tum ſuæ authoritatis, quam iam ſuis vigilijs apud doctos comparauerat, tum verò & ſenij nomine: quorum vtrunque iſtis ſuis Depulſionib. ita perturbauit, ita labefecit & proſtituit,

vt ex profeſſo illam ſuæ vitæ cataſtrophen omnibus deridendam & calumniandam propinaſſe videatur. Equidem in ipſa conſtitutos iuuentute ob calidius corporis ſui totius temperamentum, animo impenſius nonnunquam moueri, & in iram perniciosiſsimum animi motum eſſe proniores, veteris medicinæ procerum ſcriptis accepimus, quid iuuenem hunc facturum fuiſſe arbitrabimur, ſi vnquam tum temporis tantum incidiſſet animi morbum? Iam autem ſenior quum in iſtas ſuas ſcilicet Depulſiones tantum euacuarit bilis, quantum vllum vnquam vel rhabarbarum vel ſcammonium egeſsiſſe credibile eſt, vel hoc aſſecutus videtur ne metuendus ipſi ſit poſthac vel icterus, vel febris aliqua ardẽtior. Cæterùm quòd initio ſtatim mirificè exacerbatus Veſalium tanto impetu adoritur, accuſat, reumque agit: quòd ſe iudice, ne nullum mentis impeditæ omittat indicium, mox damnat, & omnibus diris deuouet, bilis quidem copiæ acceptum ferimus: quòd verò nomen ſupprimit, & pro Veſalio Væſanum ſubſtituit, ſingulari cuidam prudentiæ. Neque enim ſacer ille ſermo polluendus erat nefario nomine: & rectè quidem. quandoquidem ſacrum ille appellat, quod omnes alioqui boni viri prophanum. Quid enim prophanius iſtis Syluij calumnijs, adde in immeritum exaggeratis? Bene igitur & appoſitè facit, dum prophaniſsimo ſuo ſermoni nihil ſani admiſcet. Reprehenditur pictor, ſi colores rebus non reſpondeant: ridetur ſtatuarius, ſi heroi cuidam caprinos affinxerit pedes, quî minus in Syluio taxandum veniebat, ſi væſanæ fabulæ ſana addidiſſet nomina? ſi Veſalij inſeruiſſet mentionem? viri de Anatomes ſtudijs præclariſsimè meriti, quorum dudum ſanè Sylulius principatum affectat, ac obtineret, ſi quidem illi iure deberetur: qui ea in parte laude dignum adhuc nihil ſcripſit, tantumq; aliorum libris annotationes quaſdam aſperſit. Spes ſanè noſtrûm non paucos, qui id temporis ſub illo Pariſijs medicinæ dabamus nomina, tenebat Anatomes cuiuſdam totum negotium abſolutiſsimè complectentis, cuius copiam ſe ſtudioſis facturum iandudũ ſpopõderat, quam dum auidiſsimè expectamus atque hominem pollicitis iam tandem ſtaturum planè non dubitamus, ecce partus ille præpoſte-

rus

rus excluditur, vel hoc nomine pleriſque magis inuiſus, quòd iam ad nauſeam vſque, dum hæc (quod nunc facilè conijcio) parturiret, tot conuitiorum plauſtra pertuleramus, cùm ſingulis ferè horis in Veſalium crudo inueheretur ſtomacho, non ſine inſigni aurium noſtrarum tædio, multorumque indignatione, meliora ſibi proponi optantium. Nec dubium eſt me hercle Syluium cùm lectionibus illis ſuis moroſis, tum verò iſto ſcripto amarulentiſsimo, dediſſe iam tum viris bonis ſuſpicionem malè latæ alienæ gloriæ. Habet autem in manibus iandudum tractationem, cuius modo meminimus, Anatomes, neſcio quid perfecti pollicitantis: quæ vtinam non tot criminationibus ſcateat, atque eam, vt opinor, iam in lucem dediſſet, niſi Veſalij obſtaret authoritas. Neſcio enim quid aliud, niſi hæc, illum impediat. Quantum verò de commemorata iam Anatome nō ita pridem cum multis alijs, mihi pollicitus ſim, mihi ipſi pulchrè ſum conſcius, & teſtes eſſe poſſunt ij qui communibus ſtudijs eo ipſo tempore mecum incubuerunt: nunc inani nos eſſe lactatos ſpe, non tam dolemus, quàm Anatomen, non ſine ſumma induſtria & herculeis Veſalij laboribus reſtitutam, denuo tot calumnijs eſſe dilaceratam. quanquam id genus conuitia, Irrita per celeres diſsipet aura Notos. Caueat autem putet Syluius medicarum rerum peritos vſqueadeo amentes fore, quin ſi quid in hac parte vnquam poſthac ediderit egregij, non credituri ſint, id præeunte Veſalij opera, vtcunque diſsimulet, factum eſſe: vt qui Anatomen ſcripſerit, in qua ſi quædam, ita ea certè paucisſima deſiderari iure poſsint. Nimirum hæc eſt illa adraſtia Nemeſis, cuius inſtinctu prodit Syluius ad plectendum Veſalium. Quem nunc igitur reum, iudices æquiſsimi, pronunciabimus? cui nunc væſaniæ inuremus notam? huic ne homini eruditiſsimo, atque in artis operibus, præcipuè autem re Anatomica ita exercitato, ita omnium calculo præſtanti, vt Anatome illi ſoli, quicquid lucis & reſtitutionis accepit, debeat? an ne illi, qui virum tantum, tanta calumniandi licentia, tot confictis opinionibus, tanto denique præiudicio adoritur? calumniatorem iniquiſsimū identidem clamitans: quique cum calumniatore (vt ipſe

vult) cum in modum agit, vt tametſi is eſſet, qualem ipſe iniquiſsimè depingit, certare cum eo calumnijs non illum retundere videretur. Quin tanto in criminibus malitioſè inurendis poſt ſe relinquit interuallo eos omnes, qui vel noſtra, vel auorum noſtrûm memoria fuêre, Momos, vt poſtea ſimili ratione viris, & bonis & de ſtudijs communibus optimè meritis, obtrectaturi ex hoc ſuo ſcripto, tanquam penu quodam inſtructiſsimo, calumniatrices voces iugiter deprõpturi ſint. Quæ ſanè cauſa eſt, lectores optimi, cur interdum non immeritò mihi adſurgat, iſtis Depulſionibus, hoc inquam Syluij aduerſus Veſalium ſcripto, malignius ſub Sole vix aliud vnquam extitiſſe. Equidem toleradum fuiſſe exiſtimo, ſi quæ in aduerſario reprehendit ſuo, tantopere exagitaſſet, niſi & naturæ hiſtoriam inuertere, noſtriſque oculis & ſenſibus tenebras offundere ſimul etiam eſſet aggreſſus: vtcunque etiam illa effrænis maledicendi licentia, cuiuis ſaltem cor habenti, non poſsit non eſſe moleſta. Quo loco vel hoc pijs debemus ſatis, quòd, cui calumniandi præſtitiſſe videntur facultatem maximam, eundem dijudicandi ratione deſtituerint. Quod niſi iſti noſtro Veſaliomaſtigi accidiſſet, Veſaliumque, iudicio pariter ac calumnijs vſus, ſaltem pupugiſſet, non iniurioſè prorſus arroſiſſet, ipſa interim intacta naturę hiſtoria, plurimos fortè in ſuam adduxiſſet opinionem. Nunc quoniam vocibus plus quàm tragicis nihil non ſibi arrogat, illi omnia detrahit, atque ne in veſtibulo quidem ipſius libri cœlum terra miſcendo, ab inurbanis conuitijs ſibi temperat, oſtendit ſole clarius ſe, non tam pietate in Galenum, quàm proprio affectu, & inuidia, quæ, vt ille ait, ὄμματα καὶ κραδίην illi occæcaſſe videtur, in hanc deſcẽdiſſe arenam. Atqui dignus erat, inquit, Veſalius, qui in Hippocratẽ & Galenum adeò per interualla inuehitur? Optarem equidem & ego Veſalium nonnunquam in detegendis Galeni librorũ erroribus fuiſſe mitiorem, optaret & ipſe forſan, iuuentutis ardore annis paulatim remiſſo: ſed, vtcunque res habeant, nollem Veſalium veritatem diſsimulaſſe, nollet & ipſe, ſat ſcio. Potiſsimùm quum in Galenum (Hippocratem taceo, quem ſi qua in parte à vero deuiaſſe ſcripſit, id Galeni exẽ-

plo feciſſe potuit) non vſqueadeo fuerit acerbus, quin ipſum Anatomes parẽtem, rarum naturæ miraculum, exquiſitiſsimum naturæ operum interpretem, omniumq́ue bonorum authorem non ſemel appellarit: denique errores commiſſos in codicum deprauationem aliquoties reijcere non dubitarit. Quòd ſi tamen hac ratione à Veſalij librorum lectione ſtudioſos auertere conatur Syluius, tollat Ariſtotelem, tollat & Galenum ipſum neceſſe eſt, quorum vterque à præceptorum ſuorum decretis, veritatis ergò deſciuerunt. quod niſi clarius eſſet, quàm vt referri deberet, nullo negotio demonſtrare poſſem. Porrò etſi Galenum poſt Hippocratem medicinæ principem agnoſcimus, ſummamq́; illi tribuimus dignitatem; tamen nõ ita ſtolidi illius ſumus admiratores, in illiusq́ue verba adeò ſtrictè iurati, vt, ſicubi tanquã homo hallucinatus ſit, id protinus propugnare pertinaciter, neque latum, quod dicunt, vnguem ab ipſius dogmatis diſcedere, nobis propoſuerimus. Quininiò amicus Hippocrates, amicus Galenus, magis amica veritas: ἀμφοῖν γὰρ ὄντων φίλοιν, vt alibi Ariſtoteles dixiſſe fertur, ὅσιον προτιμᾷν τὴν ἀλήθειαν. Et conſtat nullum authorem inde vſque ab initio mundi adeò omnibus numeris (ſacras excipio literas) abſolutum extitiſſe, quem non parte duntaxat aliqua iure reprehendere potuiſſes. Syluius verò abſolutiſsimum eſſe Galenum, nihilq́ue vnquam nec in phyſiologia, nec in cæteris medicinæ partibus ſcripſiſſe, quod non ſit veriſsimum, audet affirmare. An non homo fuit Galenus? audiat igitur quæſo Galenũ ipſum ita de homine loquentem: χάλεπον γὰρ (inquit alibi) ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρίναντα, τὰ δ' ἀμελέστερον γράψαντα. Aſferam ne quid apertius Syluio? Non ne Galenus ipſe, aut ſi quid manes eius adhuc ſentiunt, abhorreant neceſſe eſt hanc ſuam opinionem, ſeu verius ſeruitutem? Id quod libellus abundè is teſtatur, quem de libris proprijs & de ordine ſuorum librorum poſteritati reliquit: in quo eos omnes ait eſſe ſeruos, quicunq; ſe, aut Hippocraticos, vel Praxagoricos, vel alios alterius ſectæ, nominari volunt. Atqui verè ij demũ mihi ſerui, viliſsimum ſanè mortalium genus, eſſe videntur, quibus liberum non eſt fateri quod res eſt, aut in

Libro 2. comp. medic. κατὰ τόπους. cap. 8.

Digitized by Google

in examen ducere, quæ ante ſe dicta ſunt. ò præpoſteram planè Syluij ſententiam: quam & Hippocrates & Galenus ipſe in primis reijciant, cùm alibi tria illa ἐπιστήμην, ἀρετὴν, καὶ εὐσιαν in medico requirunt, quę quomodo conſtare poſsint, ſi iudicij libertatem tollat Syluius, dictisque nos neceſſariò adſtringat, ipſe viderit. Neque hæc eſt ἀντιπελαργία, quam ethicè nos docet, & Syluius à Veſalio præſtari exigit. Niſi enim parum rectè memini, nihil minus eſt, quàm ἀντιπελαργεῖν, maiorum errores, vero interim ſuppreſſo aut diſsimulato, comprobare, cumque veteribus errare malle, quàm cũ poſteris bene ſentire. Iam verò ſi Galenus ab inferis reuiuiſcat multa ſuorum operum, ſatis ſcio, vix agnoſcet, temporum iniuria paſsim deprauata, nec volet, ſi quos ipſe etiã ſcripſerit, errorum defenſores ita ſtrenuos & pertinaces: quando errare cuiuſuis, vt neſcio qui ait, hominis eſt, nullius niſi inſipientis perſeuerare in errore. Quòd ſi tamen omnia, quorum Galenus author dicitur, defendere obſtinatè, aut ſaltem, vt Syluio placet, excuſare animus eſt, iam non Galeni, vt fuit diligentiſsimus quantum fieri potuit, veritatis indagator, ſed errorum patrocinium ſuſcipimus. quando falſa rectè excuſari haud queunt, veritate ſtante ſimplici. At Galenum multa tradidiſſe in Anatomicis perperam paulò pòſt manifeſtum faciemus, & quæ brutis animalibus potius, quàm hominibus quadrare is fateatur oportet, qui humani corporis diſſectionem Galeni verbis ſemel atque iterum adhibebit. Requiro autem hîc non Galeno iuratum, ſed liberum & veri amans ingenium. Galenum verò hac in parte nonnulla à veritate aliena literis mandaſſe non eſt quod miremur, cùm paucißimos homines, plures verò, quarum paſsim mentionem facit, ſimias inſpexiſſe ipſum conſtet. Fortè quòd ſuo tempore non eſſet facultas vbique reperiendi quos diſſecaret homines. Accedit, vt pius fuit vir Galenus, potuit fieri vt à frequenti hominum diſſectione abhorruerit. Cæterùm perpauca illum ſecuiſſe humana cadauera patet legenti librum primum Anatomicarum adminiſtrationum. Nam eo loci ſolenniter meminit duorum cadauerum caſu oblatorum, quorum alterum fluuij impetus eruerat ſepultum, alterum latronis cadauer corui biduo

ui biduo iam arroſerant. Quæſo autem quid è cadauere fluuij impetu paſſim colliſo, alitúmve morſibus defœdato magnopere diſcendum? His adde fœtorem abominãdum, quo veriſimile eſt latronis corpus iam putridum ea loca infeciſſe. At recentia, inquis, erant cadauera? quomodo recentia, cùm ipſémet Galenus paucos ante menſes alterum ſepultum fuiſſe, alterum iam biduo coruis dilaniatum tradat. Sed obijcies forſan corpori fluuio delato nequicquam defuiſſe? audio. At ego viciſsim mihi non perſuadeam, cadauer fluuij vehementia deturbatum nullibi colliſi, aut riparum marginibus affricari, ac ſaluum omnino deferri, cùm & truncos & robora hoc modo deuoluta inſigniter contũdi quotidiana experientia diſcamus. Etſi latronis cadauer demus fuiſſe iam aſsiccatum, & quod Græci dicunt, omnino σκέλετον, quaſi de induſtria ita fuiſſet præparatum, tamen ſicuti ciuiliter vnus vir, nullus vir, ita vnum cadauer inſpectum verè nullum eſt: taceo quòd non niſi oſſa, & ea duntaxat ligamenta, quæ à volucrum laniatu intacta ſuperfuêre, conſpici potuerint. Meminit & Veſalius huiuſmodi cadaueris in furcis à ſe reperti, vt ſuam diligentiam, & indagandarum harum rerum ardentiſsimum ſtudium nobis teſtatum faceret. Verùm non illo contentus quàm plurima alia ipſémet diſſecuit, omnium ſuorum dictorum oculatus teſtis. Galenus nuſquam, quod ſciam, humanæ à ſe viſæ aut factæ diſſectionis, præter iam dicto loco, meminit, ſilentio neutiquam præteriturus, ſi qua alia vnquam ipſi contigiſſet. Vnde perſpicuum fit omnibus quàm temerè agant, qui & Galenum errare non potuiſſe, & in humanis ſectionibus multùm verſatum eſſe contendunt. Sed audiamus ex multis alium Galeni locum, qui eſt in libro de vteri Anatome inſcripto, vbi ita ſcribit: Alia autem adhuc quatuor vaſa à venis ad arterias & renes procedentibus exortum habentia, non in omnibus mulieribus, ſed in quibuſdam (inquit Herophilus) in vterum ingrediuntur: quod ipſum ego quidem in alijs animalibus non reperi, præterquàm rariſsimè in ſimijs. Non tamen dubito quin Herophilus ipſa ſæpe in mulieribus repererit. Erat enim circa alias partes abundè eruditus, & ea quæ per diſſectionem cognoſcuntur, exactiſ-

ſimè tenebat, & plurimam eius cognitionem non, vt pleriq́ue, in brutis animantibus, ſed in ipſis hominibus adeptus erat. Hæc ille. Quæ eò adſcripſi, lector candide, quò planius intelligas, ne quidem Galenum ipſum ſibi arrogaſſe, quod Syluius hodie illi attribuit: atque adeò Veſalium immeritò impietatis accuſari, quòd ſecus multa quàm Galenus, ex ſedula inſpectione humanorum corporum & euidente experientia de rebus Anatomicis tradiderit. Neq; attinet locum Galeni iam adductum fuſius proſequi, quũ per ſe ſit clariſsimus, nobisq́; demonſtret apertè, Galenũ in hominibus perparũ, in quadrupedibus verò plurimùm ſe exercuiſſe. At erigit Syluius Hippocrati & Galeno trophæum, triumphumq́; ſibi neſcio quem decantat, Scipionum longè, puto, illuſtriorem, & egregiè φιλαυτὸς ſibi ipſi abláditur, ſed pol ante victoriá. Prudentis erat, Sylui, vincere, ſi quid erat hîc quod aut poſſes, aut deberes vincere, & triumphare. Sed quæſo te, Sylui, cuius gratia tantũ ſuſcepiſti bellum, de quo etiá manibus Elyſijs trophæum mittendũ putabas? Hippocratis & Galeni? at verò Veſalius neq; Hippocrati nec Galeno vllum vnq̃ indixit bellum, nullas adhuc, quod ſciá, tranſmiſit feciales literas. Neq; vſqueadeo amens eſt Veſalius, vt cũ laruis luctandũ cenſeat, qui nec Syluium, nec vllum alium etiãnum viuentem in hoc genere certaminis, naturæ fretus hiſtoria, expaueſcit. Quòd in Galenum nõnulla locutus eſt liberius, id nõn libidine quadá maledicendi, vt Syluius illũ inſimulat, eũ feciſſe conſtat, ſed, vti res ipſa abundè teſtatur, veritatis tuendæ ergô: ne imprudentioribus Galeni authoritas imponeret, vt quicquid poſteritati in hoc phyſiologias negotio reliquiſſet, ſiue verũ ſiue falſum, abſq; omni iudicio temerè ſequerentur. Ob quá induſtriam & candorem ipſius ſingularé, nos decebat meritos illi deferre honores, nec ſua illũ, vt Syluius inſtituit, defraudare laude: probè ſciétes, niſi inuidia mentẽ impediret, Veſalio duce nunc demũ germanæ & priſtinæ integritati reſtitutam eſſe Anatomen. Quare fateatur tandem Syluius, qua occaſione ad has malè ſanas Depulſiones ſit cõpulſus? Nõ certè tam Hippocratis Galeniq́; adſerendi ſtudio, q̃ propria animi ægritudine, qua mirificè agitatus & miſerrimè iádiu torſus, dudũ deliberaſſe videtur,

qua

qua tandem cómoditate tantum venenum in vnũ hominem illũ effunderet: atq; illi aſtuto cómodius haud fieri id poſſe viſum eſt, vt ſimul qualiſcunq; ſubeſſet honeſti ſpecies, q̃ ſi Hippocratis & Galeni dogmata tueri videretur. Atqui cogitãdum erat Syluio fore emunctioris naris hoïes, qui fucũ iſtũ facilè eſſent deprehenſuri: maximè cùm illas ſuas Depulſiones tot paſsim inſtruere cõuitijs propoſuiſſet, vt quidem vbiq; in modũ Lyciſcæ latrarent, nihil tñ vllibi eorũ, quæ in Veſalio reprehẽdit, refutarent. Quod, cũ ego adhuc Mõſpeſſuli degerẽ vitã, ibi medicæ rei profeſſores viros excellẽtiſsimos, mihiq; nunq̃ ſine honoris prefatione nominãdos, adeò nõ probaſſe ſcio, vt affirmarẽt ſcriptũ hoc Syluio dignũ non eſſe, illud verò lõgè indignius; dum inculcaret noſtræ ætatis corpora vel habere, quibus veterũ caruerint: vel deſiderare, quibus antiquitus abũdarint. qua de re infra fuſius. Nũc ne in ĩmenſum excurrat oratio, Depulſiones illas ſuas ordine, earũq; vim & robur curſim expendamus. Quo loco obiter impotẽtes calũniarũ aſſultus pro virili & quo ad res patitur, modeſtè reprimẽdi erũt, ea breuitate qua ſatis ſit vel admonuiſſe lectorẽ candidũ, & in his rebus verſatũ qñ is, in re tam manifeſta & omnium oculis obuia, nõ niſi admoneri debeat.

Atqui in ipſo ſtatim Depulſionũ exordio cordatus lector facilè deprehẽdit, Syluiũ nõ depellere, nõ amoliri, nõ propulſare quicq̃ (vt in hoc genere verborũ valde eſt copioſus) ſed edicto ꝓprio cauere, ne quiſq̃ aliter ſentiat, q̃ Galeni oſteotomen totã hoïs oſsibus adamuſsim cõuenire, deq; his ſolis eſſe perſcriptã. Ad roborandũ hoc edictũ, primùm petit hominis ſceleton cũ ſimiæ cõferri: deinde ταυτολόγως iterat quę dudũ ſuis cõmentarijs in lib. Gal. de oſsibus docuit, eoq; nos ablegat: perpulchrè cauẽs ne rerũ toties dictarũ moleſta repetitio aliquẽ lectori faciat ſtomachũ. Quo ſuo certè inſtituto, nõ ne ſuo ſe ipſius gladio iugulat Syluius? Quid aliud. n. æquè ab omnibus Anatomes ſtudioſis flagitat Veſalius, q̃ vt ſimijs & quadrupedibus poſthabitis ipſoſmet contemplentur homines? Quòd ſi illud Veſalio præſtatur, iam vicit, neque eſt cur deinceps aliorum de ſe ſomnia moretur. Verumenimuero vt lector pius intelligat Veſalij de Gal. oſteologia iudicium, non vſqueadeo eſſe falſum & improbũ. *Ad primam depulſion.*

operæ-

operæpretium erit, vnum aliquod os breuitatis cauſa in medium proponere, & quale id ſit, quàmque illi Galeni quadret deſcriptio, examinare. Atque adeò opportunè ſe hic offert os veteribus olim à formæ obliquitate κόκκυξ appellatum. Non ne id tribus duntaxat, vt Galeno tum in libro de oſsibus, tum alibi placet, conſtat oſsibus? iuxta eorundemque compages, nerui ex poſteriori parte prodeūt? quorum bini inde oriuntur, quà coccyx cum oſſe ſacro cōmittitur: ſequens verò par intra primum hoc & ſecundum coccygis os ortum habet: deinde alij duo nerui, quà ſecundum os tertio nectitur, egrediuntur: denique iuxta tertium & vltimum quicquid ſupereſt ſpinalis medullæ ἄξονος, nulliqueaſſociatum proſilit? Negare quidem hanc deſcriptionem Galeni eſſe Syluius non poteſt: neque nos ſimijs & canibus probè eam reſpondere inficias imus. At hominis conuenire fabricæ, id verò quàm abſurdum eſſet aſſerere? Nam humanum diſſecanti cadauer primùm occurrunt quatuor coccygis, quæ hic tria ſolummodo recenſet Galenus, oſſa, eaque fungoſa, quorum vt quoduis eſt inferius, eo mole ſua minus exiſtit, vltimumque in cartilaginem deſinit. Deinde hæc oſsicula nulli ſpinalis medullæ portioni peruia planè reperiūtur: id quod ſecus in canibus & caudatis ſimijs accidere nos non latet. Præterea vltima illa ſpinalis medullæ cauda ἄξονος, ex poſtremo ſacri oſsis oſſe, quà primo coccygis iungitur, proſiliens ibidem etiam finiri clariſsimè deprehenditur. Denique omnes illi nerui, quos ille coccygis oſsibus accenſet, ſacri oſsis oſsibus tribuendi veniebant. Quod cùm ita ſit, quid prohibeat cum Veſalio affirmare Galeni oſteologiam partim hominum, partim ſimiarum & aliorum animalium hiſtoriam complecti? Prætereo autem hic multa Galeni libens, quæ ab humani corporis hiſtoria recedūt, vno coccygis oſſe, de quo tamen infra quoque nonnihil dicendum erit, contentus, ne longior ſim. Nam prolixum eſſet referre quàm mirificè ſit lapſus in oſſe coccygi contermino, nempe ſacro. Deinde cui vnquam lumborum vertebrarum proceſſus in homine apparuerunt, quibus libro ſuo de oſsibus hominem abundare ſcribit? Denique ſi pectoris os, caluariæ foramina, occipitis capitulorum

Lib. de oſſ. Com. περὶ ἄρθρων 3. ab initio, & paulò poſt de femoris luxat.

tulorum

tulorum coronides, os ὑοειδὲς, tertium illum quem imaginatus eſt ſcapulæ proceſſum, digitorum oſſa, dentium radices, atque id genus alia permulta Galenum parum rectè depinxiſſe: oſsis verò temporum cauitatem, quam ſummus rerum Opifex non ſine ſingulari induſtria vſus maximi gratia, vtpote auditus organo ſubſeruientem exculpſit, ignoraſſe: contrà autem rete mirabile, atque os quoddam cerebrum inter & cerebellum excogitaſſe, ſi inquam ſingula hæc diſcutere & ad viuum reſecare vellemus, dies nos citius quàm materia deficeret. Quanquam de his penè ſingulis poſtea nonnihil etiam dicetur. Quæ obiter his addenda cenſui, ne Syluius ſibi in poſterum ridiculè perſuadeat Veſalium, vnico illo comment. περὶ ἄρθρων loco, adductum, iudicaſſe Galeni oſtretomen hominum pariter & ſimiarum, ſeu potius ſimiarum tantummodo, hiſtoriam eſſe. Quod ſanè iudicium ita hominem exercuit, vt ſecum firmiter ſtatuiſſe videatur, ſe poſthac amicum, niſi Veſalium oderit, agniturum neminem. Quæ cauſa eſt cur nec Leon. Fuchſio parcendum duxerit, integerrimo ac veritatis amantiſsimo homini. Hunc initio ſtatim ſuarum Depulſionum obliquè perſtringit, virumque optimum & doctiſsimum traducit, quaſi is ſuam Anatomes epitomen ex ſolo deſcripſerit commentario. Qui tamen, quum adhuc ſub illo Tubingæ verſarer, ſtirpium ne an anatomes ſedula inueſtigatione plus oblectaretur, dubium erat. Quorum altero vt ſibi nomen non mediocre inter doctos comparauit, ita noluit Veſalio in rebus anatomicis primas ſine controuerſia tenenti honores meritos, vt nonnulli tentant, ſuffurari. Cæterùm ne in hac etiam parte ſcholæ medicorum deeſſe videretur, vt in communibus ſtudiis iuuandis cedit nemini, totam Anatomen ampliſsimam ſanè artis medicæ partem, ſuccincta quadam epitomes forma, ob vſum commodiorem, contrahendam putauit. Sed vrit Syluium, quòd is Veſalij ſententiæ, vtcunque aliâs acerrimus Galeni defenſor, pleriſque in locis ſubſcribat: ideoque protinus colligit ipſi nihil vnquam eorum indagatum eſſe, de quibus in ſua tractet Epitome: cùm interim Fuchſius non minus diligenter in hac quàm reliquis medicinę partibus, iā inde ab initio, quo hanc

artem

artem profiteri cœpit,deſudarit. Deſinat igitur in poſterum Syluius ſui dũtaxat amore, tantis viris obtrectare, & agnoſcat tandẽ nec ſuorum, quæ fruſtra aſſeuerat, ſuffragio obtineri poſſe. Memini enim Antonium (qui non ita multò antè quàm hoc euulgaretur Syluij ſcriptũ, vita functus eſt) Maſſam, cum ſectionem mulieris Lutetiæ ob partus difficultatem mortuæ adminiſtraret,vt ea in re erat expeditiſsimus, pñtibus multis,in primis verò D. Iacobo Goupylo medico doctiſsimo mihiq; amiciſsimo homine, ſæpe monſtrare(aberat.n.vt ferè ſolet, Syluius) quæ veritati quidem conſentanea erãt, à Galeno aũt & his maximè Syluij Depulſionibus, quod dicitur, δὺς διὰ πασῶν,diſtabant. Hoc liberiores longè ſum expertus medicos Monſpeſſulenſes, vt qui Syluium nihil prorſus morentur, plusq; veritati q̃ authoribus, qualeſcunq; illi ſint,tribuendũ ſtatuant. Horum raros audiui, qui non vel aliquid ſaltẽ, ſecus ac Syluius in Galeni ſectionibus deſiderarent. In primis verò Gulielmum Rondolletium acerrimi iudicij hominem, dum ſectioni præeſſet, tanto candore de Anatomes negotio differentem ipſe vidi, vt æquè ac Veſalius Galeni in multis exactiorem partiũ deliniationẽ requireret. Cuius rei exẽpla in medium adducere facile eſſet, niſi nimius eſſe nollem in ijs demonſtrandis, quæ non minori ſucceſſu quàm candore iandudum Veſalio diligentiſsimè ſunt perſcripta: atq; de id genus nonnullis progreſſu orationis & nos agemus. Hæc ad primam Depulſionem dixiſſe ſufficiant. *Ad ſecundam. depulſion.* Secũda Depulſio priori,ſi rationes expendas, quibus eſt cõſcripta,per omnia ſimilis eſt, niſi quòd plus fellis nacta,naturæ opera acerbius paulò arrodit.In hac Syluius, quamuis magna ex parte calumnijs in Veſaliũ abſumatur, nobis perſuadere ſuo more conatur, cuneiforme os ſua baſe, multis foraminibus cribri ſeu ſpõgiæ inſtar pertuſum, pituitæ excernendæ viam præbere. Quæ foramina vti Veſalio, ſic nulli vnquam certè eo loci, comparuerunt. Hac opinor ratione Syluius pleraque veluti quidam Democritus ex ſuis atomis, vt ſuo interim indulgeat affectui, quæ vel per ſomniũ irrepſerunt, in corporibus humanis reperiri fingit. vt neceſſe ſit omnes nos,præ ſuæ opinionis rabie, eſſe cæcos & inſenſatos, qui etiam foraminum, vt ipſe ait,

coronam,

coronam, adeò rerum omnium imperiti, obſeruare nequeamus. Sed ſuadet vt recenti in ſceleto, quæ à Galeno de hoc oſſe perperam dicta videntur, experiamur. Vt itaq; de Veſalio taceã, cui plura corpora eſſe diſſecta, quàm multis ſuis calumniatoribus fortè viſa facilè crediderim, illud certiſſimum eſt, dum Fuchſio præceptori meo adhuc conuiuerẽ (libet.n.ꝙ ſæpe alioquin mihi vſu venit hoc teſtimonio cõprobare) foramina à cuneo appellati oſsis cribri, ſeu ſpõgiæ modo Syluio efformata, in capite à ſupplicio iã iã deſumpto, ad vnum oẽs quotquot ſectioni aderamus, nõ reperiſſe: vtcũq; quæ in capite cõtinerẽtur, accuratè inquireremus. Ad quæ inueſtiganda dũ supernè deſcẽderemus, choana ſe nobis pulchrè obtulit, ſuo mucrone incũbẽs cẽtro glãdulæ ſphenoidi ipſi innitenti. Ad cuius latera vtrinq; duos canales, partim in anteriora, partim poſteriora, oẽs verò deorſum ad pituitã deferendam affabrè factos, tendere manifeſtè conſpeximus. Atque hos meatus quatuor indubiè Syluius quoq; reperit, duos tantùm (ne vel hoc veritati det) agnoſcens: negaturus fortè illos quoq;, niſi tũ ductu, quo eſſatu digniorẽ carotidis ramum in caluariæ amplitudinem introduceret, deſtitueretur. Neq; verò Veſalio opus fuiſſet, vt illi Syluius impingit, duos alios (niſi ita res haberet) cõminiſci canales, quum vel hi duo, quos ipſe etiam agnoſcit, illo Galeni cribro interim nuſquam apparẽte, ſuffeciſſent. Porrò ipſum ſphenoides os, quà temporibus eſt vicinum, planè ſolidũ viſitur, quà verò glandi, ſinu natura in hoc exculpto, famulatur, craſsiſſimum eſt, vt rectè Veſalius docuit, intus vt plurimum pumicis inſtar cauernulis donatum, totaq; ſua ſuperficie (excepto ſinu, cui glandula incumbit, & duobus vtrinque meatibus pituitam deferentibus) continuum. Vt planè admiranda veniat Syluij in protegendis erroribus pertinacia, qua etiam reperiri contendit, quæ in rerum natura non eſſe tantiſper credendum erit, dum vel ſemel occurrerit cranium huiuſmodi aliquod cribri inſtar foraminibus perforatum. Qua in re, vt non Galeni, ita multò minus Syluij cuiquam authoritas ſufficere debet: quando poros huiuſmodi ſpongioſos & minimos, vnquam in hoc creari potuiſſe, facilè conuincat naturæ miranda vbique in ſuis operibus prouidentia,

uidentia, quæ certè talibus minutis foraminulis, pituitæ lentiſsimi ſanè humoris, colationi parum prudenter proſpexiſſe, non immeritò argui poſſet. Accedit quod dictum iam os τὴν τῶν παχέων περιττωμάτων ὁδὸν, hoc eſt craſſorum excrementorum, non ſubtilium, quæ per id genus foramina excolari poſſent, viam eſſe metipſe Galenus lib.9. cap.3. v.p. doceat. Quæ hactenus diximus re vera ita ſe habent. Sylvius verò contra manifeſtum viſus iudicium iam commemorata foramina, multa parua, ſpongioſa in ſphenoide, quę in ethmoide potius locanda erant (vno illo motus quòd Galeni monumenta id doceant) conſtituit. Neque verò licet magnus, tanti nobis eſſet Galenns, vt cribrum illud ethmoidis, ſphenoidi aſcribentem non erraſſe cum Veſalio fateremur, niſi illum locum, vnde omnis illa erroris ęmanauit occaſio, deprauatum eſſe, primus inter omnes Anatomicos Leon. Fuchſius, medicus longè præſtantiſsimus deprehendiſſet: atque adeò hanc Galeni non fuiſſe mentem, ſed codices tam Gręcos quàm Latinos corruptos hactenus omnibus impoſuiſſe, argumentis euidentibus demonſtraſſet. Pulchrè enim is animaduertit, lib.9. de vſu partium cap.3. vbi Galenus de meatibus cerebrum expurgantibus loquitur, pro σφηνὶ per imperitum quendam librarium ἠθμῷ irrepſiſſe. Quam Fuchſij ſententiam tam ſequentia ſtatim verba, quàm omnes reliqui Galeni commentariorum loci cõfirmant. Quæ qui vberius cognoſcere cupit, conſulat lib.1. Epito.anato. Fuchſij cap.nonum. Vides, lector beneuole, cæcum Syluij affectum, quo iampridem faſcinatus, tam Galeno ipſi, vtpote qui eius nunquam fuerit ſententiæ, quàm naturæ, quæ talia foramina hoc loco inutilia fore optimo iure cenſuit, obſtrepere nihil veretur, cribrumq; illud in palato ſpectari, veritate, rerũ Opifice, Dijs deniq; ipſis nolẽtib. volentibus, inquiſsimè contendit. Cùm longè maiori cum laude Fuchſij exemplo codices emendaſſet, & quæ nec ipſe neque quiſquam alius hominum vnquam ſuis conſpexit oculis, ob vnius inuidiam, tanta pertinacia adſeuerare haud neceſſum fuiſſet. Cætera huius Depulſionis ſuum ſapiunt authorem cynicum, maledicum, vindictæ ſitientiſsimum hominem.

Ad 3. depulſio. Non autem videtur Syluio quicquam æque

ſtomachum

ſtomachum mouiſſe, atque id quod Veſalius alibi tradit, Galeno inſigniorem ſoporalis arteriæ ramum, in cerebrum perperam deduci per foramen pari tertio & quarto neruorum cerebri commune. Quod vt falſum eſſe oſtenderet, ſe diu ſanè torſiſſe miſerrimè quis non videat, cùm ad luxatos Galeni librorum locos ſibi tandem opportunè confugiendum putarit? Hos figit refigitque pro libidine, puto, ſua & arbitrio, vt ſuam ſaltem maledicendi licentiam roboret. Qua quidem ratione ſi veterum codices expungere, atque integros immutare locos liceat, non inuenias vllum vnquam quicquam literis mandaſſe perperam: quum quod te offendit, facilè inuertere poſsis & tuæ accommodare opinioni. Cæterùm vt demus locum hunc libri de diſſectione neruorum, quem hìc emendauit, rectè eſſe reſtitutum (quandoquidem totum hunc libellum inter ſpurios referri etiam Veſalius optat) quid aliud agit, quàm quòd nos iam antea petijmus? vt ſcilicet id genus errores craſsiſsimos exemplaris vitio adſcribat & confiteatur ingenuè potius, quàm quòd tam pertinaciter defendendos putet. Id quod aliâs fortè facturus fuiſſet minimè, niſi libri decimiſexti vſus partium authoritas, quam hìc quoque produxit, obſtitiſſet. Cohibuiſſet autem hoc loco nonnihil haud immeritò etiam linguæ vehementiam Syluius, potiſsimùm quum nihil de quo tantopere excandeſceret, habuerit, ſi bonorum & doctorum hominum inuidia & iuſta indignatione ſe grauari noluiſſet. Quid quæſo enim Veſalius tot conuitiorum myriadibus dignum commiſit? Se quidem, nec citra rationem, admirari ſcribit, Galenum potiorem carotidis ramum per foramen tertij & quarti neruorũ cerebri paris cõmune in caluam introducere, nec potius per notatu dignum foramen peculiariter illi in hoc exculptum. Syluius verò locum hunc Galeni à Veſalio citatum, deprauatum eſſe inquit, alioquin à veritate maximè alienum fore non obſcurè innuens, eumque ita emendat, vt cum Veſalio ne tantillum diſcrepet, imò is ex ipſa Veſalij mente, quod hic ſcribit, deprompſiſſe videatur. Stantque adeò rata quæ Veſalius de hoc genere arteriarũ, earundemque ductu ſcitiſsimè prodidit, nempe carotiden duobus ramis conſpicuis ex altero

altero efferri latere, quorum alter vena comitatus, communi ſexti neruorum cerebri paris foramine caluariam ingreditur, in anticam ceruicis ſpondylorum ſedem propaginem elargiens, alter verò ἄφλεβος, & iam dicto corpulentior, per proprium foramen, ſibiqueſoli in hoc efformatum, cerebro iungatur. Quo vtroque in cranium iam admiſſo, plexus ille mirandus reti comparatus conſtitui, hactenus falsò creditus eſt. Conſultius ergo feciſſet Syluius, ſi quæ in Galeni monumētis fuiſſent corrupta, placidè cum his contuliſſet, & legitimum Galeni aperuiſſet ſenſum, nec tam intempeſtiuos et tanto viro indignos excitaſſet clamores: quemadmodum Fuchſium nonnulloſque alios viros & doctos & eruditos ante ipſum feciſſe conſtat. Cæterùm quo in Syluium ſum affectus animo, optarem vt ea, quæ in quarta ſua Depulſione Veſalio obijcienda putauit, vel expédiſſet accuratius & firmioribus roboraſſet argumētis, vel eorum illa quoque retuliſſet in numerum, quæ ſurdis auribus planè prætereunda duxit: vt in meatu opticorum neruorum, cauitate oſsis temporum, coſtarum cartilaginibus, & id genus multis alijs, illum non imprudenter aliàs feciſſe conſtat. Qua quidem ratione vt in Galenū pius, ita vicisſim in naturæ atq; huius immenſi authoris mirandā vbique ſolertiam minimè impius extitiſſet. Præſtabit autē, lectores, priuſquàm rem ipſam attingamus, oſsium, quibus capitis perficiuntur motus (de quibus hoc loco differendum erit) contextum luculenter explicare, ſecus ac hic noſter fecit: qui horum ſtructuræ nulla propemodum habita ratione, motus capitis malè deſcriptos, nudis duntaxat Galeni verbis contentus, propugnare aggreſſus eſt. Hinc enim fore confidimus, vt nullo negotio quiuis deprehenſurus ſit, Syluiū iniquiſsimè naturę ipſi primùm ſe opponere, deinde ſuis oculis & ſenſibus, ob affectum ſemel conceptum, malè in vniuerſum omnē derogare fidem. Occipitis igitur os, quà foramine omnium capitis maximo ſpinalis medullę gratia pertuſum eſt, vno vtrinque donatur proceſſu oblon go, rotundo, interno ſuo latere quàm externo inſignius protuberante, nec adeò, vti in ſimijs & canibus (quorum inſpectione motus Galenus hos proceſſus κορώνας vocaſſe videtur)

Ad 4. depulſion.

detur)acuto. Hæc duo capita duobus æquè amplis extra ſurſum eductis, intus profundis, primi ſpondyli ſinibus vtrinque aptiſsimè excipiuntur. Vt autem inferiori ſua ſede hic primus ſpondylus leuiter vtrinque excauatus ſinus γλωοειδεῖς conſtituit, & ſecundi ſpondyli correſpondentia ſuſcipit tubercula; ſic poſteriori ſui corporis parte ſinum quendam ſortitur cartilagineum, quo eiuſdem proceſſum ὀδοντοειδῆ, Hippocrati dentem appellatum admittit, qui ad occipitis os ſurgens eidem tereti & firmiſsimo ligamento annectitur, eo puta loci, vbi id priori ſui foraminis ſede in hoc craſſeſcit & exaſperatur. At verò primus iſte ceruicis ſpondylorum ſolidior, compactior, denſior cæteris omnibus dorſi ſeu ſpinæ totius oſsibus, formam adeptus eſt ab his plurimùm etiam differentem. Nam ſpina præter aliarum vertebrarum morem caret, & ſecundum longitudinem tenuiſsimus eſt: præterea foramen obtinet ob dorſalis medullæ principij viciniam, longè maximum. In cuius interna cauitate validum quoddam enaſcitur ligamentum, dentem illum aſcendentem, quà poſteriori ſua regione ſinu donatur mediocri, tranſuerſim obuoluens, ſuaque in ſtatione ne dorſalem comprimat, obfirmans. Vt hoc nomine ſecundi ſpondyli dens primo per ginglymon inſeratur, veluti axis rotæ: occipitis verò os, ſuis coronis, vertebræ ceruicis primæ, tanquam circinus vtroque ſuo crure alicui aſſeri. Atque ita ſe habet breuiter coarticulatio eorum oſsium, quibus capitis motus perficiuntur. Quod cùm ita ſit miror quenquam vſqueadeo à ſenſu omni remotum eſſe (quandoquidem motus capitis proprij duo ſunt, quorum primo ſeu recto caput antrorſum & retrorſum flectimus, altero ſeu obliquo idipſum circumagimus, & in gyrum circunducimus) qui non continuò intelligat, illi primum, huic verò ſecundum famulari ſpondylum? Potiſsimùm quum id ipſa oſsium, de quibus hic controuertitur, enumerata iam ſeries tam clarè doceat, atque harum articulationũ vſus præſtantia euidentiſsimè etiam commonſtret. Supereſt autem præter iam dictos duos motus, tertius quidam in latus, non capitis ſed ceruicis vertebrarum proprius: harum enim omnium conſenſu fit, & nos huius ope caput in humeros

Libr.12. vſ. part. inclinamus. Hunc motum Galenus primæ aſsignaſſe vertebræ ceruicis tum videtur, vt Veſalius demonſtrat, cùm Lib. de oſſib.c.8. ſcribit duos eſſe capitis motus, quorum vnus annuendo renuendoque, alter in latera fiat. Quam Galeni fuiſſe ſententiam cùm pernegare Syluius propoſuiſſet, diluendus illi diligenter erat meritò is locus, quem Veſalius ex quarto Adminiſtrationum adduxit, vbi Galenus docet, quando caput in dextrum ducimus latus, dextram tunc occipitij coronan in dextrum ſpondyli ſinum ſtrictius impingi, ſiniſtram verò è ſuo ſinu eleuari, & contrà. Quod quia non fecit, temperet ſibi quæſo ab ira tantiſper, dum hunc locum, quē callidè ſubticuit, ſaltem ſuo more emendarit, ſi refelli nequeat. Maximè cùm audiat naturam non vulgariter fuiſſe accuſandam, ſi eiuſmodi vnquam inſtituiſſet motum, quo nimirum articuli inuicem violenter abſcedere neceſſum habuiſſent, & ipſa ſuo ipſius quoque ſuffragio, ſpinalis medulla periculo nunquam non fuiſſet expoſita; quam tamen perpetuò in hoc incubuiſſe conſtat, vt articuli ad vnum omnes maximè ſecuros obtinerent motus. Quæ certè cauſa eſt vna, cur & caput ipſum in vniuerſum pauciſsimis donarit motibus, quod ſtructuræ ſecuritatem in hoc plurimum eſſe ſitam animaduerteret, quam cum motus varietate pugnare, ex naturæ operum ſedula obſeruatione, Galenus tradit lib.4. Anato.adminiſtra. Quanquam vt Syluio donemus περιάγειν vocem à Galeno ea paſsim vſurpari ſignificatione, qua nos ſecundū ſeu obliquū fieri capitis motum dicimus (id.n. quāuis abſque omni authoritate aſſerit) tamen hunc ipſum motum perinde in prima colli vertebra perficiat, ac ſi circinum (vt Veſalius non ineptè comparauit) ſuis cruribus cuidam aſſeri infixum circunducere fruſtra conetur. Primo itaque motui prima, ſecundo altera ceruicis vertebra paret, nec è diuerſo. Neque enim natura obliquum motum in prima vertebra ritè moliri potuiſſet, niſi vnum aliquem rotūdum & amplum in hac exculpſiſſet ſinum, qui æquè magnum occipitis oſsis excepiſſet proceſſum, cuius beneficio caput in vtranque partem circunduxiſſemus. Quod tamen cùm ob vtriuſque foramen ampliſsimum, tum verò primi ſpondyli tenuitatem maximam factu impoſsibile fuit. Quemadmodum

admodum itaque motus hic obliquus in primo ſpondylo perfici nequit, obſtantibus nimirum occipitij coronis, ita viciſsim rectum ſecundæ aſcribere vertebrę abſurdiſsimum eſt, cùm id ligamentum illud primi ſpondyli tranſuerſum manifeſtè prohibeat. Neque ego puto cuiquam dubium eſſe id dentiformem illum proceſſum aſcendentem in primi ſpondyli ſinu firmiter cohibere, atq; ob id hoc modo quieſcente dente primam vertebram ſuper ſecundam flecti & reflecti omnino nō poſſe. Huc pertinet, quòd ſpinalem medullam (ſi dentem recto capitis motu flecti & reflecti velis, tantamq́ue ligamenti imagineris laxitatem) in primi ſpondyli foramine impenſius coarctatam dētem abrumpere, aut ſaltem violentiſsimè comprimere neceſſum eſſet. Quin primus ceruicis ſpondylus in ſecundo retrorſum duci omnino tantiſper nequit, dum eo loci, quo dens locatur, in tantum is prorſus exculptus ab inuicem dehiſcat, vt liberum & impeditum denti egreſſum præbeat. Abſit igitur, iudices æquiſsimi, vt elegantiſsimum naturæ conturbemus ordinem, cumq́ue Syluio præpoſterè rectum motum ſecundæ, obliquum verò primæ attribuamus vertebræ: quando præter experientiam ipſa nos ratio, nihil hoc abſurdius dici poſſe, ſatis moneat. Et Syluio ipſi quid de hac re ſentiret non ſatis conſtitiſſe declarat pugnans de his motibus ſententia, vt qui initio ſuæ Depulſionis quartæ, obliquum motum diarthroſi ſinuum ſuperiorū primæ vertebrę, cum occipitij coronis, ſub finem verò hunc ipſum circa dentem, (idque non malè) tanquam vectem circa verticillum conuerti ſcimus, fieri tradat. Iam autem nemini obſcurum eſſe puto, quandoquidem ſpurios tantùm capitis agnoſcit motus Syluius, legitimam eundem muſculorum caput mouentium, eiuſdemq́ue ligamentorum ſeriem neceſſariò etiam ignorare. Quam qui abſolutiſsimè deſcriptam deſiderat, legat Veſalium lib. 2. de humani corporis fabrica cap. 28. & 30. Non enim noſtri inſtituti ratio patitur omnia illa ad longum huc conferre. Peruenimus tandem ad maxillas. Harum ſuperiorem ſolidam & medullæ expertem ſutura è medio ſuperciliorum ſecundum nares intra canini & inciſoriorum dentium alueolos deſcendente, dona- *Ad 5. depulſion.*

ri, ſcribit Galenus libr. 11. cap. 18. vſus partium, & libro de oſsibus cap. 3. Huic Veſalius, veritas, & αὐτοψία penitus reclamant. Primùm enim ſolidam non eſſe ſuperiorem genam demonſtrant narium foramina patentiſsima, & non contemnendæ vtrinque cauitates, aëre vt plurimùm opletæ, quarum videlicet interuentu maxilla leuiſsima redditur. Deinde hanc ſuturam ab oſſe frontis ſeu medio ſuperciliorum deorſum continuo ductu iuxta nares per medium dentium iam commemoratorum deferri in homine omnino non potuiſſe, cùm ipſa genæ breuitas (canum enim & ſimiarum longè eſt contractior) tum verò & intuitus ipſe euidentiſsimè docent. In canibus quidem, porcis, ſimijs atque huius formæ animalibus alijs, quibus exteriores ſunt dentes, ex altera parte hanc ſuturam naturæ Conditor efformauit, quæ à ſutura, quintum ſuperioris genæ os à quarto diuidente, educta, obliquè deorſum caninum inter & inciſorium dentes deſcendit, cumque ea ſe illic miſcet, quæ in palati extremo iuxta inciſorios dentes tranſuerſim ſe intuentibus exhibet. Hac autem humana gena planè deſtituitur, quòd exiguos prorſus obtineat dentes caninos, & breuiſsima omnino ſit. Syluius de iam dictæ maxillæ ſoliditate nil anxius ſuturæ duntaxat, cuius modò meminimus, ductum ſibi defendendum ſumit, atque hunc tanta propugnat grauitate, vt nulla vnquam ætas quicquam viderit infirmius & imbecillius. Nam præter quod ſe aliquoties eiuſmodi ſuturam (per ſomnium forte) conſpexiſſe iactat, & coniecturam ſuam, quæ tamen nihil probat, prolixè exponit, quid obſecro niſi puerilem quandam noſtræ ætatis corporum metamorphoſen nobis obtrudit? Ait enim hanc ſuturam nobis hodie ob victum, venerem, luxum, eſſe immutatam, aut certè non ita conſpicuam. Perinde ac ſi Galeni ſeculum, ſecus ac noſtrum, victu & venere immodicis non æquè diffluxiſſet? Et vt maximè his caruerit, quid quæſo hoc ad ſuturas & oſſa? At nullum vel mediocriter in hiſtorijs verſatum latet, iam inde ex quo Carthago funditus deuaſtata, Punicis bellis finem dedit, Romanos otio, victu, venere & omni luxuriæ genere ſubinde in peius degeneraſſe. Iam verò poſt Aſiati-

cam

Digitized by Google

cam victoriam, Romanam frugalitatem peregrinos luxus ex vrbe Romana expuliſſe Liuius teſtatur. Quin eo deuenit intemperantiæ Roma, vt legibus popinæ luxus tandem fuerit coërcendus. Hinc Cornelia, Licinia, Fannia, Didia. lex Lepidi, lex Antij, lex Archia. Quid referam veterum illorum helluonum iam olim celebratam mollitiem, luxum, voluptatem: Mileſiorum, Sybaritarum, Tarentinorum, Maſsilienſium: præterea Claudij, Tiberij, Heliogabali, Galieni, Maximini, imperatorum Romanorum voracitatem & luxuriam perditiſsimam, cùm Galenus ipſe in ſui temporis crapulam, temulentiam, & libidines toties & tam grauiter inuehatur? Aſiaticos autem cæteras omnes nationes his rebus ſuperaſſe eorum cognomen ſatis declarat, qui ex nimia gula ἄσωτοι nuncupari cœperunt. At neque Græciam ab his fuiſſe immunem (in quibus dictis iam locis omnibus Galenus viuere ſuo tempore conſueuit) quid attinet oſtendere; cùm id & hiſtorici & poëtæ paſsim inculcent, interdum etiam inſectentur? Neque puduit nonnullos ex commemoratis iam populis integros de obſoniorum ſplendido apparatu cõmentarios conſcribere, quales fuerunt ex Græcis Egeſippus, Epiricus, Glaucus Locrẽſis, Mithecus: ex Romanus Cato, Apicius, Varro, Columella, atque alij nonnulli. Quæ cùm ita ſint, & conſtet noſtræ ætatis corpora, non minoribus exponi periculis, eaſdem his obeũdas eſſe functiones, neq; breuiori, vt plurimùm, frui vita atq; olim Galeni ſeculo, qua fronte tantam naturæ impingemus iniquitatem, vt ijs, quæ maioribus noſtris ob neceſsitatẽ (nihil.n.fruſtra fecit) benignè largita eſt, eam nos, quibus nos minor incumbit neceſsitas, deſtituiſſe cõtendamus? Liceat igitur Veſalio ex ſimijs ſubſtituere quę in homine nemo alius, vno Syluio excepto, reperire hactenus potuit. Quanquam is ſe non niſi aliquoties, neque has tamen perfectas futuras conſpexiſſe metipſe fatetur. Et agnoſcat tandem non quidem Veſalium in Galenum, ſed ſe in horum vtrunque eſſe improbiſsimum, vt qui hunc, ridiculis quibuſdam ratiunculis nixus, in humano ſceleto ſemper obſeruaſſe affirmare non dubitet, quæ ne per ſomnium illi, ſimiæ deſcribenti anatomen, vnquam in mentem

venerunt; illum verò abſolutiſsimam humanæ fabricæ hiſtoriam docentem, tot conuitijs & calumnijs impijſsimis inceſſere non erubeſcat. Porrò natura cùm nuſquam non aliàs, tum verò in gena inferiore, ſuæ ſolertiæ teſtimonium dedit haud vulgare. Hanc enim, quoniam creberrimè, vehementer, & multùm loquendum inter & edendum, nobis mouendam proſpiceret, vnico tantùm oſſe, eóque validiſsimo, ſecus ac maxillam ſuperiorem, extruere prudentiſsimo ſanè conſilio, voluit: ne ſcilicet è pluribus conflata oſsibus, tot ac tantis motibus promptius diſſolueretur. Apparet autem in externa ſummi menti ſede, quædam eminentia tuberculis aliquot ſubaſpera, in hoc potiſsimùm creata, vt labri inferioris muſculi inde commodius enaſcerentur. Hac quidam deluſi, ſymphyſin eſſe, qua maxilla inferior mutuo committatur, falsò putarunt. Ex horum numero Syluius quoque eſt, atque in hac, non minus quàm ſuperiori gena, inſigniter labitur, dum quod Galeno rectè in canibus, ſimijs, & animalibus eiuſmodi brutis vſu uenit, de hominibus proditum, nobis protinus perſuadere conatur: non animaduertens ſe, cùm ſine ratione, tum verò & experientia omni, nunquam impetraturum, vt genam inferiorem credamus eſſe biſoſſem. Cùm enim immenſo rerum Creatori (id quod ipſe Syluius quoque non negabit) ſemper placuerit violentis motibus robuſtiſsima quæque opponere membra quis dubitet quin maxillam inferiorem vnico, duriſsimo, & validiſsimo oſſe ob hoc maximè conſtare voluerit, vt motibus ferendis eſſet aptior, tantosque impetus ſuſtineret tutius, nec geminam in homine cæteris omnibus animalibus generoſiore, ſed planè integram & vnicam potius efformarit: potiſsimùm cùm id quoque ipſius partis vtilitas euidenter loquatur: & vt geminam eſſe donemus, quid aliud niſi naturæ ipſi non mediocrem oſcitantiam vltrò etiam impingat? Ne igitur cæco in authores affectu cæci porrò feramur, eorumque ſententiam parum aſſequentes, de humanis corporibus ſcripta contendamus, quæ illi de animalibus brutis non ineleganter alioquin tradiderunt. Atque huius rei commonefacere debuiſſent Syluium ipſa meritò Galeni verba lib. 11. vſus

Ad 6. depulſion.

ſus partium circa finem, quibus docet infernam genam co-ctione & exiccatione diſſolui: id quod in vitulis, canibus, ſimijs & alijs id genus animantibus veriſsimum eſt, in homine minus. Huius enim gena plurimo etiam tempore co-cta, tantum abeſt, vt ea parte, qua iam commemorata veluti alicuius ſymphyſeos eminentia Syluio commiſſuræ fidem facit, diuelli ab inuicem poſsit, vt quauis aliàs promptius diſrumpatur. In Galenum itaque ſtudioſè improbus eſt, quòd hunc de hominibus ſcripſiſſe aſſeuerat, quæ ipſe quidem ne cogitauit vnquam, & res ipſa vaniſsima eſſe palàm teſtatur. Proinde inſpiciat deinceps ſaltem maxillas veſpillonum opera hinc inde in cœmeterijs effoſſas, & deprehendet haud dubiè illas eſſe vndequaque vnitas, fractuque, præcipuè eo loci, quo menti ſummum eſt, contumaciſsimas: quæ alioquim ſi qua commiſsionis ſpecie coaluiſſent, quis ambigat quin putredine & carie, aliorum animalium maxillarum ritu, dirempta deprehenderentur? Huc accedit quòd infantum etiam modò natorum genæ oſſe firmo, nec ita cæreo, eoque continuo, & nullam prorſus (dempta illa iam prius dicta eminentia) diuiſionis notam oſtendente, Siluij etiam teſtimonio, donantur. At riſu tibi dehiſcant genæ neceſſe eſt, lector, ſi conſideres ridiculum illud Syluij diléma, quo ſuam ſextam Depulſionem de gena inferiore diſceptantem concludit. Quid enim amabò inſultius hoc arguméto? In brutis quàm plurimis (ſic enim inquit) biſos gena inferna recipitur, cur ergo in homine quoque non recipiatur? quæ hic eadem vtrunque diuiſionis ratio? nulla ne alia hominem inter & brutum niſi loquelæ differentia? Quaſi verò quicquid in brutis nec omnibus, ſed (vt ille ait) quàm plurimis obſeruamus, id protinus in hominibus recipiendum ſit, & è conuerſo? Proh ſuperos, quantum & quale chaos his rationibus in diuinam illam Anatomes contemplationem introducturi eſſemus? ſed pergo ad pectoris oſſa. Horum ſeptem ex Galeni authoritate recenſet Syluius, atque hunc tot ſemper obſeruaſſe hinc colligit, quòd non ſubiunxerit interdum plura, interdum verò pauciora comparere. Deinde illam *Ad 7. depulſion.*

B 4 ſuam

ſuam Depulſionem ordine ſeptimam, ex libris de Adminiſtrandis ſectionibus (quos tamen ex ſolis ſimijs conſcriptos eſſe paulò poſt metipſe fatetur) prolixè farcit, probaturus ſcilicet, ſeptem coſtas ſeptenis coarticulari ſterni oſsibus, primumque pectoris os cæteris non eſſe maximum, &c. Non ſecus ac ſi Veſalius horum nuſquam antea meminiſſet, & totius huius controuerſiæ cardo in Galeni authoritate adducta, & relictis monumentis verteretur. Equidem nos non fugit, Galenum ſeptem pectoris oſsium, quorum tamen Syluius quoque pauciora recipit, authorem extitiſſe. Atque hinc adducimur, vt firmiter ſtatuamus ſimiarum, canum, & brutorum animalium, non autem hominum hiſtoriam illum texuiſſe, quãdo hic numerus in quadrupedibus ſemper, in homine nunquam ſeſe offerat. Atque hinc etiam eſt, cur Veſalium tantis euehendum putemus laudibus, illique noſtro ſeculo principem non inuiti in hac phyſiologias parte demus locum, quòd is tanquam Hercules quidam, de veterum authoritate tam ſolicitus, quàm de recentiorum calumnijs & morſibus, ipſam humani corporis fabricæ veritatem eruerit, atque hoc totum negotium, omnium, quos noſtra tulit ætas, primus abſolutiſsimè confecerit. Is ſterni oſſa in adultis vt plurimùm tria, in minoribus natu interdum quinque, nonnunquam quatuor, rarius ſex, nunqnam verò ſeptem occurrere veriſsimè, vt intuentibus facilè apparet, ſcriptum reliquit. Præterea totum hoc os forma varium eſſe rectè docuit. Nam quà clauiculis articulatur, latiſsimum eſt, in medio anguſtius, & vtrinque lunatum, in fine cartilaginem illam Anatomicis ξιφοειδῆ dictam, oſtendens. Vt autem horum oſſium forma variat, ita non eadem omnia compage inuicem committuntur. nam primi oſsis cum ſecundo coarticulatio manifeſtè ſe exhibet, cæterorum verò in conſtante ætate nexus viſum effugit, vti nec in pueris admodum bene eſt conſpicuus. Atque in hominibus ad hunc modum ſe habet, in beſtijs longè aliter. quarum ſternum

Lib. de oſſib. c. 13. & de vſu part. libr. 7. ca. 21.

ſternum ſeptem oſsibus figura & magnitudine propè æqualibus, commiſsionibusque quàm ſimillimis contexitur. Vt vel hinc omnibus euadat perſpicuum, Galeni de ſterno placita quadrupedibus, non autem hominibus quadrare. Syluius in refutanda Veſalij de ſterno ſententia perparcus eſt, fitque inconſtantiſsimus, dum hinc veritati contradicere, illinc inuidiæ caſtra deſerere, vix honeſtum ducit. Vt vtrique ſimul inſeruiuiſſe videatur, fatetur quidem ſterni oſsium numerum non eſſe eum in hominibus, quem Galenus tradidit: tamen ne nihil, quod çum Veſalio pugnet, in medium tuliſſe dici poſsit, negat ſupremum pectoris os reliquis eſſe amplius & maximum, quemadmodum in canibus re vera non eſt. Cæterùm quod Maſſam & Mondinum, illum quidem diligentem, hunc verò impuriſsimum & ineptiſsimum ſcriptorem, concernit, iudico iſtos etiam ea, quæ de ſterni oſsibus, vt & alijs corporis humani partibus tradiderunt, ex aliorum & præcipuè Galeni libris magna ex parte mutuaſſe. Quod niſi feciſſent, mihi dubium non eſt, hunc oſsium ſeptenum numerum ſimijs & canibus non hominibus adſcripturos fuiſſe. Subit autem admirari tantam hominis inconſtantiam, qua veluti Protheus quidam tam mirificè ſe in ſuo illo breui de ſterno ſermone, transformat. Iam enim totus in hoc laborat, vt ſeptenum ſterni numerum omnes mordicus retineamus: mox reperiri tot oſſa negat: dein rurſus affirmat, adductis etiam in fidem teſtibus: tandem ad ſuum illud egregium axioma relabitur, in noſtris corporibus hodie numerum hunc raró, verius dixiſſet nunquam, deprehendi. At ego libens quæſierim ex Syluio, quando ita eſſe vult, vt Galeni ætate ſternon ſeptenis conſtitiſſe oſſibus credamus, quæ cauſa ſit, cur ijs hodie priuemur? neque enim credibile eſſe debet, naturam tantum pectoris & vitalium inſtrumentorum munimentum temere labefactari paſſuram fuiſſe. Si victui & veneri immoderatis, vt iam antea conſueuit, dabit? (quod mihi quidem innuere videtur, dum inquit, in noſtris corporibus hodie) damnoſam

damnoſam exitialemque in primis voluptatem, & perniciosiſsimum victum, quibus integra, ſi dijs placet, oſſa & tutiſsimum pectoris munimen nobis decurtatur. Sin verò id nolit, ſed coaluiſſe nobis, quæ veteribus expreſsè diſtincta commiſſuris videbantur, contendet? mirificam extremè venerem, & in vtrunque paratum victum, vt quæ paulò antè, Depulſione (puto) quinta, ſuo exceſſu noſtræ tempeſtatis corporibus vires adimebant, nunc ijſdem robur adaugeant, ſternumque olim tot commiſſuris fragile, iam ſolidum & iniurijs ferendis multò habilius reddant. Sed de his ſatis. Miratur autem alibi Veſalius, meo iudicio, non immeritò, quomodo ſedes humeri anteriores quidem & exteriores gibbæ, poſteriores verò atque interiores ſimæ Galeno in ſua oſteotome iudicatæ fuerint, & cur brachium extrinſecus gibbum, intus magis ſimum libro de vſu partium ſecundo docuerit. Nam niſi humerum rectum ſtatuerimus, antica ſupernaque parte gibbus certè videbitur, poſtica verò & ſuperna ſimus: rurſus anteriori infernaque ſimus, poſtica & inferiori gibbus: dein interius & maximè verſus inferiora gibbus, exterius verò ſimus. Quæ forma muſculis cubitum flectentibus & extendentibus potiſsimùm accepta eſt referenda. Tametſi interim minor ſit brachij obliquitas, vt Veſalius iandudum monuit, quàm quæ in controuerſiam vocari mereatur. Quæ quum ita ſe habeant, atque ipſa autopſis Veſalij verbis per omnia conſentiat, multus nec hoc loco eſſe uolo. ſed lectorem candidum duntaxat adhortor, vt oſſa ipſa ſepoſito omni affectu exploret, & deprehendet clariſsimè, non abs re Veſalium Galeni opinionem haud ſatis aſſequi potuiſſe, ſuam autem de humero ſententiam eſſe vndequaque ſanam, lucidam, & veriſsimam. Quàm verò ridiculum ſit putare noſtræ ætatis corpora, præſertim quod ipſa oſſa attinet, à maiorum & Galeni, quem tamen ſub Antoninis floruiſſe conſtat, ſeculo differre, iam antea abundè monuimus. Id quod eò maiori ſtudio & copioſius tum nobis faciendum duximus, quò minus eadem toties repetenda cenſuimus, quoque magis nobis & certius conſtitit, hac vna elumbi & in primis ridicula hypotheſi ſubuerſa, non exiguam Syluij Depulſionum

Ad 8. depulſion.

Cap. 16.

De his Veſal. lib. 1. ca. 23.

num

num partem ſimul eſſe collapſuram. E'quarum ſanè claſſe & iſta eſt, qua digitorum oſſa ſolida & medullæ omnis expertia hominibus olim fuiſſe, ſecus ac nobis hodie, monſtrare ſe opinatur. At quæ tandem impudentia, comminiſci Galeni temporis corpora his noſtris longè robuſtiora extitiſſe, atque ob id (vt iſtud demus) repentè digitorũ oſſa obtinuiſſe ſolida, perinde ac leones, pardali, lupi & id genus aliæ feroces beſtiæ? Cùm plus ſatis compertum habeamus hodierna corpora Galeni coëtaneis robore & viribus, vt & proceritate, artuumque optimo habitu, nequaquam cedere. Vt autem abſurdum, ita longè impijſsimum eſt naturæ tantam affingere oſcitantiam, vt eam in minutis illis digitorum oſsiculis tam curioſam, tam, Deus bone, occupatam (loquor verò hîc de oſsium duntaxat ſubſtantia) & ſolicitam ſomniemus, ſui verò, quod neceſſariò inde ſequeretur, oblitam periculoſiſsimè, in maximis illis & notatu digniſsimis oſsibus, quæ certè nemo vnquam ſolida fuiſſe dixerit: femore puta & cruribus, humero & vlna. Quæ omnia cùm multò maiorem digitorum oſsiculis *ἰσχύος* requirant, qui minus hæc potius, quibus corporis totius moles partim ſuſtinenda, partim à foris imminentibus iniurijs tutanda fuit, ſolida efformarit, haud equidem ſatis aſſequor. Leoni quidem, vt & illud obiter attingamus, animalium omnium fortiſsimo, oſſa ſolida, compacta, & quæ attritu ſcintillas reddant, ob ſingulare robur Ariſtoteles tribuit, natura non tribuit. Quæ cauſa fuit, cur hactenus id receptum non ſit, niſi ijs, qui hoc genus exotica ſumma fide ſemper admiranda putarunt. Pardalis autem qualia ſint oſſa, mihi nondum contigit videre: certè ſolida non eſſe dubium non eſt; quum lupo, accipitri, tauro, vrſo, fortiſsimis & ferociſsimis beſtijs, vtcunque ſint oſſa dura, denſa, & fortia, tamen ſolida non eſſe, ſed caua intus & medullæ plena, nemo niſi cæcus ignoret. Vnde etiam omnibus palàm fit, oſsium robori medullam nihil detrahere: atque adeò maiorum digitos, virium gratia, ea deſtitui perinde fuiſſe neceſſum ac nobis hodie, quibus digiti intus caui, medullaque oppleti nullis non operibus perficiendis abundè ſufficiunt. Cæterùm vt Sylvij Depulſionum ordinem

Ad 9. depulſion.

Lib. 3. hiſtor. animal.

Ad 10. depul.

ordinem ſeruemus, neceſſe erit hoc loco nonnulla de oſſe ſacro & coccyge dicere. Horum vtrunque ternûm eſſe oſſium Galenus lib. de oſſib. cap. 11. & 12. tradit. Veſalius verò hominis os ſacrum, magna ex parte ſex, interdum quinque, vt coccygem quatuor extrui oſsibus docet ex hominis hiſtoria, cùm illa ſimiarum ſit. Nam in his non ſena nec quaterna, ſed vtrobique duntaxat terna, ſecus ac in homine, reperias. Vt nulli hinc etiam poſthac dubium eſſe debeat, Galenum quadrupeda deſcripſiſſe, homines non deſcripſiſſe. Syluio horum nihil penitus attingēti (vt qui hoc genus locos, tanquam nodos Herculeos egregiè didicerit diſsimulare) quędam placuit potius de ſacri oſsis, atque huic ſubiacentis coccygis extenſione & contractione Galeno vſitata, ſed planè confiĉta, cauillari. Atque aliquando coccygem Galeno contrahi ad ſacrum os, iſtud verò interdum eouſque extendi ait, vt ilium oſſa, quantum ſcilicet horum cum illo committitur, & coccygem ſimul, comprehendat. Qua me hercules ratione miror, cur nec ipſam dorſi ſpinam, femur, & quicquid vſquā oſium iſtud contingit ſacri nomine, quòd re vera ſacrum, hoc eſt magnum ſit, complectatur. Neque verò veteres Anatomici iſtud os ἱερὸν ideo vocarunt, quòd ſuis lateribus, magnis innominati oſſibus, inferna autem ſua parte coccygi neĉteretur; ſed quòd per ſe omnibus alijs ſeiunĉtis, magnum & latum eſſet, vnde illud ipſum perinde ac ἱερὸν, μέγα, καὶ πλατὺ non minus frequēter appellarunt. Præterea veriſimile omnino non eſt, ſi quā Galenus, dum libros de vſu partium exararet, coccygis habuiſſet cognitionem, quin iſtius, ſaltem in tot locis ſemel, meminiſſet, tantum abeſt vt coccygem ſub ſacro oſſe, quēadmodum Syluio viſum eſt, ſit complexus. Age verò, vt comprehenſum donemus, dum citati operis lib. 12. ſacrum os quatuor conſtare oſsibus docet, tribus nimirum proprijs & coccyge, qua quæſo tandem fronte tria tantùm oſſa ſacro oſsi humano tribuet Syluius? vt vaniſsimum eſſe neceſſe ſit, quæ iſte de diĉti iam oſsis extenſione & contraĉtione Galeno vſurpata confinxit. Neque verò nos conturbat, quòd Galenus coccygis appellatione, perinde atque τοῦ ἱεροῦ, plura comprehenderit oſſa: neque id volumus, quod

quod non & ἰερῷ voce coccygem potuerit capere, non illud inquam agimus, hoc deſideramus, tria tantùm Galeno vtrobique enumerari oſſa, ſiue vno ſiue pluribus ea dignatus ſit nominibus. Iſtud verò à te, Sylui, demonſtrari cupimus, vbi locorum Galenus coccygem interdum quatuor, vt tu inquis, oſsibus conſtare ſcripſerit? Iam enim antea docuimus huius oſsis in libris de partium vſu mentionem nullam fieri, neque paruam ob id nobis ſuboriri ſuſpicionem, cùm hos libros ſcriberet, iſtius tum nullam Galenum habuiſſe cognitionem: in libro autem de oſsibus eius & meminit, & tribus duntaxat extrui oſsibus tradit, ea in enumeratione indubiè & quartum additurus, niſi ſimiæ coccygem deſcripſiſſet. Proinde longè fuiſſet ſatius hæc à Syluio ne attingi quidem, aut certè iſtorum oſsium hiſtoriam, vt Veſalio ſi hominem, ſic Galeno ſi ſimiam ſpectes, rectè traditam, ita proſequi, vt vtriuſque differentia nullum lectori reliquiſſet ſcrupulum. Quid obſecro enim mihi profit noſſe ſacri oſsis vocabulum Galeno nunc extendi nunc verò contrahi, ſi neſciam quot quálibusque idipſum conſtet oſsibus? Equidem eum qui trophæa ab hoſte ſe relaturum gloriabatur, decebat eò aciei cornu potiſsimùm comparere, quò aduerſarij impetus eſt maximus: quóque omnium acerrimè inſtat, inimica huius declinare tela, hoc eſt conuincere, & demonſtrare, quì tria tantùm in homine ſacri oſsis oſſa, non autem ſex aut quina: in coccyge itidem tria, non autem quaterna reperiantur. quando is Galeni oſteotomen, quod ſolenniter præfatus eſt, adamuſsim hominibus conuenire, deque his ſolis perſcriptam eſſe, Veſalius verò contrà, id quod huius diſsidij caput eſt, ſentiat. Vt autem, qui ſemel à Regiæ viæ tramite per imprudentiam deflexit, non poteſt non errare, quoque longius progreditur, eò magis eundo peccat; ita Syluius poſtquàm initio à veritatis anatomicæ via diſceſsit, quò plus in phyſiologiæ negotio procedit, eò ſubinde grauius labitur, ſeque dat turpiorem. Quid enim homine oculato indignius, quàm res omnium oculis expoſitas & manifeſtò comparentes pertinaciter non modò negare, ſed etiam quæ *Ad II. depul.*

natura

natura rerum parens nunquam eſt molita, in hominis ſceleto offendi porrò aſſeuerare? Quod quidem hic noſter facit, dum oſsis ſacri lumborumque proceſſus ſurſum in hominibus, non autem deorſum, vergere contendit. Quum tamen hominis (quam vocem libenter toties adſcribo, ne quiſquam ſimiarum, aut canum, aliorúmve animalium ſtudioſior, errare me putet) tam oſsis ſacri, quàm omnium lumborum (quinta, ob ilium oſsium viciniam, excepta) tranſuerſas vertebrarum apophyſes deorſum ſpectare is neſciat, cui nullum vnquam cadauer humanum videre contigit. Eſt tamen Syluius eo loco nonnihil mitior, breuior, & quantum à vero deuiet, non multis declarat, ſi rem ipſam conſideres, ſin verò calúmnias, nimis quàm copioſus, quibus vt aliàs ferè, ita iſtic etiam ſe longè in congerendis conuitijs oſtendit occupatiorem, quàm defendendo Galeno. Quo loco vt alioquin ſemper, ſic plurimùm apud hunc quoque, valuit irrita impugnandæ veritatis cupido. Hinc tragicæ iſtæ voces & impotentes calumniæ, non obſcuri Veſalianarum laudum impatientiſsimi animi indices, quibus doctiſsimas & elaboratiſsimas huius viri lucubrationes, farraginem quandam vocat rudem & indigeſtam, impurá, prolixam, vitijs & errorib. ſcatenté molem, quas tamen non ſanè aſini bipedes Syluani, ſed politioris literaturæ & ſanioris iudicij homines, in Germania, Italia, Gallia, ob id maximè admirantur & ſuſpiciunt, quòd concinno ordine & purè ſcriptæ, tam noſtri quàm ſuperioris ſeculi Anatomicorum errores detegant, priſtinumque Anatomes nitorem nobis veluti poſtliminio reſtituant. Quòd ſi illæ ſint impuræ? Ciceronem, Plinium, Celſum, & id genus alios ſcriptores impuros eſſe neceſſe erit: Prolixiores autem eſſe is demũ calũniatur, qui rei Anatomicæ vbertaté, breui quadã orationis ſerie includi haud poſſe, nõ intelligit. Quòd ſi tamen Veſalij ſermonis de rebus ampliſsimis prolixitas Syluio nauſeam facit, miror ſanè qui Ariſtoteles hactenus, aut Galenus ſi velis ipſe, ſtomachum illi non prorſus ſubuerterint? Cæterùm nõ ignoramus in tãto illo Veſalij volumine interdũ quaſdã ſe offerre dictiones typographorũ incuria, vt ferè fit, minus fideliter expreſſas, quas tñ eiuſmodi

non

nō eſſe abūdè conſtat, quæ tā malignè ipſi authori, qui alioquin tm̄ præſtitit, imputari mereătur, potiſsimùm à Syluio: cui idem frequenter accidiſſe demonſtrarem, niſi libri ab ipſo editi, atque adeò hoc ipſum ſcriptum, Depulſiones, inquam, illæ ſuæ, id palàm conteſtarentur. Illud certè vnum doleo, Veſalio non integriorem contigiſſe æmulum, quo, ſi candidius ſe ipſi oppoſuiſſet, indubiè ad altius abſtruſas naturæ res inueſtigandum fuiſſet incitatus, nobiſque ſacra Imperatoria ita annuente Maieſtate, Anatomen (tametſi quod magnopere deſideremus non ſit) reddidiſſet longè clariſsimam abſolutiſsimamque. Porrò oſsium quorundam meminerunt omnes quotquot vnquam in Anatome quicquam elaborarunt, quæ σησαμοειδῆ à ſeſami ſeminis minuti ſimilitudine dixerunt, ſed qui horum numerum ſitumque certum, tam ante quàm poſt Galenum exprimeret, nullus extitit. Etſi enim Galenus alibi præcedentes ſe medicos iſtorum oſsium mentionem feciſſe quidem, ſed numerum ſitumque exactum tradidiſſe neminem doceat; tamen nec is hoc vſpiam, quod ſciam, nec hunc ſequentium Anatomicorum quiſquam, præſtitit. Vt ſeſaminum cognitionem hodie etiam ſepultam iacere neceſſe eſſet, niſi diuinitus in hoc excitatus Veſalius iſtorum ſitum & numerum vnus inter omnes Anatomicos, & primus, pateſeciſſet. Adhortatur autem is diſſectionum ſtudioſos, vt iſtorum oſsiculorum multitudinem & ſitum, progreſſu temporis accuratius ſcrutentur: fieri enim poſſe, vt plura, quàm ipſe tradiderit, ſparſim reperiantur. Qua tam pia monitione quid, obſecro, candidius? quid viro docto & bono dignius? Quòd ſi igitur Syluius copioſiorem ſeſaminum inuenit numerum, ſitumque concinniorem, gratus ſit erga Veſalium, cuius manu ductus tam abſolutum iſtorum oſſium numerum ſitumque eſt conſecutus: laudetque iſtius candorem tam ingenuum, quo alios eſt hortatus, ne ſuis acquieſcerent placitis, ſed rem ipſam diligentius inquirerent, cùm ſibijpſi ea in parte ſatisfactum non putaret: non autem pro benefactis, vti conſueuit, maledicta rependat, & per quem profecerit porrò etiam diſsimulet. Quanquam Syluius quem ſtatuat ſeſamoideon numerum ordi-

Ad 12. depul.

Lib. 2. ca. 12. v. p.

ordinémve, nemo facilè intelligat. Nam in manu interna, vt paucißima nouemdecim cùm recenſet, externa ſe non numeraſſe ſubdit. Pari ratione in pede inferno, aut paucißima totidem, atque in manu, enumerans, mox ſubiungit ſupernè aut nulla, aut rara & obſcura notari. Quibus ſanè uerbis diſertè innuit, de ſeſaminum numero ſe etiamnum & dubitare, & qualis is ſit, nondum planè cognouiſſe, in ſuperiori puta, tum pedis, tum manuum regione. Quod niſi ita eſſet de exquiſito ſeſaminum numero tandem demonſtratò, equidem hunc gloriari facilè pateremur. Ego uerò iam dictorum oſſium numerum in diuerſis hominibus diuerſum reperiri, atque ob hanc cauſam veterum diſſectionis profeſſorum neminem, iſtorum certam aliquam, & definitam ſeriem declaraſſe non ambigo. Horum autem uſus is eſt, ut articulos impleant, ſtringant, ac ſic luxationi minus obnoxios reddant. Hunc uſum antiquis medicis receptum Veſalius nòn repudiat, ut Syluius falſisſimè ipſi impingit, ſed approbat potius ac omnibus recipiendum proponit. Neque obſtat quod alium his oſsibus uſum ſimul adſcribit, nempe quòd prohibeant, quò minus nimium laxè articuli moueantur, & in nimis acutum flectàtur angulum. nam hic uſus alteri nihil omnino demit, & cùm ambo ſimul commodè iungi poſsint, Veſalius utrunque docendū eſſe, non autem hunc accipiendum, illum uerò improbandum duxit.

Libr. 1. ca. 28.

Ad 13. depul.

Age uerò de cartilaginibus nonnihil hoc loco etiam nunc diſſeramus. Hos veteribus partim omiſſas, partim deſcriptas perperam, Veſalius ea reſtituit diligentia, qua in uniuerſum omnem Anatomen propè iā collapſam ab interitu reuocauit. Hunc conatum planè laudabilem Syluius, ceu temerarium & inutilem, omnino reprehendit, hoc ſe perfortiter Galenum vindicaſſe iudicans, cùm ad longum decantarit iſtud ſuum nimis perfamiliare δόγμα, noſtræ tempeſtatis corpora obtinere, quibus maiorum fuerint deſtituta. Et qui minus quæſo ob imbecillitatem, quam ipſe infert, careant potius, quibus veteres abundarint? Imbecillitate enim, quantum ego iudico, deficimus, non augemur: quanquam nec id ueritati conſonum eſſe ſuprà oſtenderimus. Sed iſtis ſuis nænijs fortè imprudentio-

res

res ſuos illos bipedes aſellos perſuaſerit & dementarit. de quibus aliâs, nunc ad rem. Natura rerum parens cartilagines quaſdam vnctuoſo ferè oblitas humore oſsium articulis interpoſuit propterea, ne oſſa mutuo eoque perpetuo affrictu ſeſe inuicem læderent & attererent, motusque expeditiores eſſent, quales ſunt inter clauiculam & ſummum humerum, maxillam infernam & ſupernam, clauiculas & pectoris os, cubitum & brachiale. Quarum cùm Galenus nullam prorſus fecerit mentionem, tamen dolet Syluio eas à Veſalio eſſe repertas & demonſtratas. Egregium verò commentum, quo cartilagines imbecillitatem articuli ex maiori(ſic enim loquitur) volubilitate declarare ſomniat. Quaſi hæc volubilitas maioribus non æquè fuerit neceſſaria, quos tamen perpetuo & continuo exercitiorum & paleſtræ ſtudio detentos, non tardis, vt opinor, ſed agillimis & maximè volubilibus humeris, in eludendis pariter & dandis ictibus indiguiſſe veriſimillimum eſt: atque hos iam antea nobis longè robuſtiores extitiſſe, multis verbis affirmauit. Quæ quàm pulchrè inuicem conueniant, vobis, lectores, iudicandum relinquo. Quid autem iniquius aut indignius dici poteſt, quàm aſſerere cartilagines iſtas ceu ſuperuacuas (tametſi natura nihil vnquam fruſtra crearit) articulis innatare? An ne hic vſus ſit aliquis Sylui? an ne hac excogitata abſurdiſsima, & idiotis, diſpeream, non ferenda, vtilitate confiſus, inficiaberis in poſterum iſtas cartilagines motuum varietati & ſecuritati eſſe potius deſtinatas? Quam certè vtilitatem non Veſalius tantùm, ſed & Galenus ipſe libro primo vſus partium cap. 15. & ratio, cumque hac experientia, duo fidei inſtrumenta ſola & certiſsima, euidentiſsimè docent. Atqui fieri facilè potuit, vt tantâ is naturæ affingeret ſtupiditatem & oſcitantiam, qui cartilagines etiam ſub oſsium numero comprehendere non vereatur. Ait enim eam cartilaginem, quæ ſummum ſcapulæ proceſſum & clauiculam intercedit, os eſſe Hippocratis illud, quod Galenus tertium eo loco in homine exiſtere libro de oſsibus memoriæ reliquit. Quibus verbis quàm ſe multipliciter erroribus inuoluat Syluius, quæſo te, lector candide, pauliſper mecum attende. Hippocrates hominem

C bobus;

bobus, ouibus, canibus, porcis, ceruis, equis & id genus animalibus clauicula deſtitutis, cōferens, hunc ſolum acromio duntaxat donari docuit, quo haud dubiè, non niſi ſummam omoplatæ apophyſin, cui clauicula articulatur, ſubintellexit. Quam cùm Galenus in ſuis ſimijs (vt quæ clauiculas non minus atque homines ſint ſortitæ) etiam obſeruaret, legeret autem ſoli homini acromion eſſe datum, Hippocratem (quem ſimias perinde atque alia quadrupeda homini contuliſſe arbitratus eſt) tanti fecit, vt tertium quoddam os in humeri cum ſcapula articulo locari imaginaretur. Hinc factum, vt quotquot Galeni inſiſterent veſtigijs tantùm, tale quoddam os in hominibus reperiri contenderent. Syluius hunc errorem ſubolens, emendare dum cupit, bifariam hoc ipſo delinquit. Eam enim cartilaginem, quam paulò antè maioribus defuiſſe, nobis hodie adeſſe, & ad imbecillitatem, vt ipſius vtar verbis, motionis pertinere aſſeuerabat, nunc ſui oblitus acromion Hippocrati & Galeno nuncupatam tradit, atque hoc ipſum quàm aptè, ipſe viderit. Debuiſſent ſaltem ipſa Galeni verba hominem à tam abſurda reuocare opinione, quæ lib. de oſsib. cap. 14. ſic habēt: Os ſcapulæ, inquit, vbi ad acromij locum peruenerit, ibi cùm iugulo connectitur, hanc ipſam compactionem nonnulli anatomes periti acromion appellarunt. Alij præter hæc ambo, quæ coniunguntur, tertium os eſſe inquiūt, quod in ipſis hominibus tantummodo deprehenditur, id cataclida & acromion vocant. Hîc enim Galenus binas recitans opiniones, vtri adhæreat, non ſatis declarat: ſubinde tamen os eſſe, quod ſummus humerus dictum ſit, diſertè innuit, non autem χόνδρον ſeu cartilaginem. Et quî tandem cartilago oſsibus ſtrictè obnata, interpoſita, depreſſa, ἀκρώμιον appellari potuiſſet? Porrò tam ſibi parum eſt conſtans Syluius id funeſta, vt opinor, ita imperante inuidia, vt qui aliquando Veſalium ob ſermonis prolixitatem perditiſsimè deteſtatus eſt, nunc ab eodem partium homogenearum particularem quandam vberioremque requirat deſcriptionem: neque id ſanè ſine Galeni ipſius nota manifeſta. Quę quoniam de iſtis partibus nihil ſeorſum vſquam ſcripſiſſe legimus, liceat quæſo & Veſalio ſaltem huius exemplo, ha-

Ad 14. depul.

rum

rum non ſeparatim, ſed vbi ſe occaſio offert, quantumque vſus expoſtulat, obiter meminiſſe. Quòd autem de ligamentorum natura nihil certi ſtatuiſſe, vtrum nimirum ſenſu careant nec ne, Veſalium inſimulat, id apertiſsimè falſum eſſe, ipſa iam citati authoris verba lib.2.cap.1. ſatis cōuincunt. quibus docet ligamentis omnibus commune eſſe, quòd nullo aut ſaltem obtuſo ſenſu prædita ſint, ne propter crebrum frequentemque motum, & continuum affectum dolore vexentur. Qua Veſalij ſententia quid planius? & tamen Syluius de ligamentis nihil certi definiſſe Veſalium affirmare non erubeſcit? cùm is potius quid de his ſentiat, non declaret, ſed ad ſuam neſcio quam Iſagogen, hactenus nobis non viſam, lectorem ableget. Cæterùm motus ex voluntate noſtra dependentis cauſam Veſalius ad neruos potiſsimùm muſculis ipſis inſertos eiuſque fibras, necnon ad carnem præcipuam muſculorum ſubſtantiam, ſimul refert. Ad neruos quidem eiuſque villos, quòd non ſecus ac ligamenta muſculis robur, venæ nutritionem, arteriæ autem inſiti caloris temperiem præſtant, ſic hi animalem vim perinde atque ad ſenſuum organa continuè muſculis deferant: ad carnem verò, quòd non ſolùm ſpiritus animalis facultatem, verùm etiam debitam priuatamque muſculorum ſyntaxin, motus authorem eſſe, ij abundè demonſtrent muſculi, quos partim vt vena & arteria ita etiam neruo prorſus deſtitui, partim horum nihil quidem recipere ſed tanquam, vt ita dicam, paraſtatas tantummodo adiacere cæteris, nullum tamen eorum omnium motu carere, experientia teſtatur. Quales ſunt, verbi gratia, qui ab ilium oſſe femur accedunt, quos inter nonnullos offendas, qui vix minutam aliquam nerui ſobolem, vti nec venam nec arteriam, ſua ſaltem ſuperficie contingant. His adde muſculum illum quadratum, radium in pronū agentem, neruoque vena & arteria in vniuerſum carentem: denique & graciles illos muſculos quatuor digitos pollici obliquè adducentes, & eos qui primi quatuor digitorum internodij flexionem perficiunt. Qui omnes cùm neruum, interdum & venam & arteriam non ſortiantur, interim verò, vt alimento & vitali facultate, ita nec animali ſpiritu, adeoque

Lib. de humа. corp. fabr.

motu ſuo, priuentur, vt ipſi etiam carni motus cauſam aſſignemus aliquam, neceſſe eſt. Nam vt demus motus voluntarios muſculorum neruis eorundemq; villis duntaxat auſcultare, muſculi autem iſtorum motuum ſint, vti ſunt, inſtrumenta vnica & ſola, cuius quæſo ope dictas iam partes (quas muſculorum eſſe in cēſu, licet neruis venis & arterijs, veluti modò oſtēdimus, deſtituantur, nemo ſanus negabit) moueri ſuasque functiones obire Syluius tandem monſtrabit? ſi modò carni præcipuæ muſculorum ſubſtantiæ prorſus omnem abrogabit motum? Quanquam rectè dicitur animalis ſpiritus vi primariò, & dein commodæ muſculi compoſitionis nomine, muſculum moueri: perinde atque oculum videre, linguam verò guſtare tum dicimus, cùm animalis virtus, neruis ceu vehiculo, delata, concinnæ oculi & linguæ conſtructioni accedens, huic guſtandi, illi autem videndi facultatem elargitur. Expoſui breuiter, lectores ijdemque iudices optimi, Veſalij de motu muſculorum voluntario mentem, quam ſi Syluius penitius inſpexiſſet, fieri poterat vt hac vna ratione à ſuo illo maligno calumniandi ſtudio auocaretur. Videar autem præter rem facere, lectores, ſi vobis porrò oſtendam, quàm penitus nulla, ſecus longè atque Syluio viſum eſt, in Veſalij muſculorum hiſtoria occurrat palinodia, quamque illi recantandum omnino non fuerit, qui à veteribus tantum abeſt vt diſſentiat, vt quæ illis obſcurius paulò tradita ſunt, is ita illuſtret, vt nec cogitari lucidius, nec memoria hominum perfectius quicquam, recordari poſſit. Cuius quidem rei teſtes, quos alios, quàm vos expetam lectores candidos, iudices æquiſsimos, quos, cùm Veſalij monumenta ſumma & fide & innumeris laboribus conſcripta minimè oſcitanter euolueritis, ſcio, & Veſalium rectè à me defendi, & maledicas iſtas Syluij Depulſiones iure optimo repelli iudicaturos. Conſtitueram aūt etiam hoc loco de partibus ſanguineis & ſpermaticis quædam ſubnectere: verùm cùm videam quæ hac in parte Veſalio obijciuntur, non eſſe tam leuia, quàm commentitia, inſtituti mei rationem ſequar, potioresque duntaxat calumnias (vti hactenus fecimus) ſuccinctè conuellendo, ad venas earumque originem me iam

Ad 15. depul.

nunc

nunc conuertam. De harum ortu inter Anatomicos iam olim controuerſum eſſe teſtantur variæ de ijs veterum opiniones, Ariſtotelis, Galeni, Herophili. Ariſtoteles enim venarum originem ad cor retulit, certis & non contemnendis rationibus motus. Galenus verò hepati adſcripſit. Herophilus quid de ijs certò ſtatueret, omnino dubitauit. Veſalius hos ſecutus, tametſi venarum omnium ſubſtantiam, magnitudinem, figuram, ſitum, functionem denique & vſum ea inueſtigarit methodo, vt non minus veteres illos, quàm noſtræ tempeſtatis Diſſectionum profeſſores (quorum ſaltem hodie ſcripta extant) longo poſt ſe reliquerit interuallo, tamen nec is quoque de iſtarum origine à ſe quicquam certi aſſertum voluit, earumque partitionem ab hepate, vſitato tam veterum quorundam, quàm recentiorum more, auſpicatus eſt, ne ſcilicet maleuolis detrectatoribus qualemcunque calumniandi occaſionem præberet. Fefellit tamen hominem opinio. nam vtcunque nihil certi definiat, & cuius iudicium relinquat liberum, dum Ariſtotelis ſententiam copioſius paulò recenſet, fieri non potuit, quin ſuperſtitioſos quoſdam vmbrarum cultores irritaret, maximè cùm Ariſtotelicam ſententiam non perinde eſſe abſurdam ac vulgò perſuaſum ſit, argumentis euidentibus & probabilibus demõſtret ſui de hum. corp. fab. lib. 3. capite ſexto. Quæ quum Syluius reijcere propoſuiſſet, vt falſa & futilia, qualia ipſe eſſe ait, rationibus non conuitijs oſtenderet decebat. Neque enim ſat eſt calumniari aliorum ſiue veterum ſiue recentiorum iudicia, & dicere, æquius eſſe multò cum illis venas ab hepate, quàm cum his à corde, ortas fateri; niſi cur id æquius ſit, argumentis demõſtres grauibus & firmis, eorum verò qui contrà ſentiunt, rationes funditus ſubuertas. Quorum neutrum quoniam Syluius facit, & Veſalij lucubrationes paſsim proſtant, eruditorumque teruntur manibus, quibus Ariſtotelis de venarum opinio non tam confirmatur, quàm argumenta à Syluio introducta ad vnguem refutantur, prudentes rem prolixam breuitatis ſtudio meritò præterimus, atque ad Andreæ Veſalij commentarios lectorem amandamus. Potiſsimùm cùm non ita magni momẽti eſſe ipſe adeò Syluius fateatur, *Ad 16. depul.*

quis tandem ſit venarum ortus, modò iecur ſanguinis eſſe officinam, atque hunc iam elaboratum inde per venam cauam in omnes totius corporis partes diſtribui, accipiamus: id quod & ab Ariſtotelis & Veſalij quoque mente alienum non eſt. Dictum verò iam antea eſt de inaudita illa noſtræ tempeſtatis corporum transformatione, non certè tam ineptè quàm pueriliter confic̃ta, qua ſimiarum & quadrupedum Galeni hiſtoriam humanæ fabricę Syluius ſubinde miſcet & confundit. Hac iterum deceptus, Galeno hominum venas non ſimiarum deſcriptas eſſe demonſtrare ſe exiſtimat ſua Depulſione decimaſeptima, atque eam venam, quam Græcis, quòd coniuge careret, ἄζυγον appellatam ſcimus, olim talem fuiſſe qualis hodie in brutis animalibus obſeruatur, nobis verò cœlo, ſolo, victu mutatam longè aliam contigiſſe ſomniat: ideoque Galeno hac in parte nihil omnino peccatum eſſe vult, cùm tamen in iſtius venæ ortu & vſu tam ſit varius, vt in eodē libro de victus.ſ. in acutis morbis ratione, ter ſententiam mutet: aliam etiam habeat in libris adminiſtrationum, aliam in venarum arteriarumq́ue diſſectione, aliam denique in commentarijs de Hippocratis & Platonis decretis opinionem. Ex quibus facilè colligas Galenum ſimias ſecuiſſe, atque vt tam varius eſſet, dediſſe illi occaſionem dogma Hippocratis, quo iubemur, dolore ad clauiculam tendente, cubiti internam ſecare venam, dolore verò ſub phrenibus conſiſtente, purgante medicamento aluum ducere. Quanquam horum nihil moueat Syluium, vt tandem luce arrepta tenebras deſerat, fateaturq́ue Galeno homines raros, ſimias autem plurimas eſſe inſpectas, & literis mandatas: vtcunque iſtius ſaltem pari deſtitutæ venæ teſtimonium hominem conuincere debuerit, quam à Galeni deſcriptione in hominibus abhorrere, in ſimijs & quadrupedibus conſentire, nulla ratione ſe negare poſſe metipſe abundè declarat, niſi ad vnam illam ſuam monſtroſam & abſurdiſsimam metamorphoſin denuò confugerit. Quo enim alio argumento in Veſalij confutanda ſententia vtitur? qua alia ratione Galenum hominis ἄζυγον deſcripſiſſe contendit? Quamobrem non eſt cur diutius nec in huius venæ tractatione moremur. Et quem tantæ leuitatis

Ad 17. depul.

Libr. 2. com. 10.

tis non pudeat, qua Syluium (abſit inuidia verbo) laborare, manifeſtè declarant ea, quæ ſub finem ſuæ Depulſionis ordine decimæſeptimæ ſic ſcribere non erubuit, inquiens: Placet autem magis hanc rationem noſtram de ſterni breuitate ἄζυγον tranſmutante ſequi, quàm in præceptores tam abſolutos impiè, arroganter, & petulanter debacchari. Quid enim aliud eſt (tametſi ſpeciem quandam pietatis præ ſe ferre hæc verba videantur) quàm ſi dicat: Placet autem magis oculis noſtris & ſenſibus in vniuerſum omnem derogare fidem, & comminiſci quandam corporum metamorphoſen inuſitatam, abſurdam, leuiſsimam potius, quàm aſſerere veteres quicquam, vt homines, ſcripſiſſe perperam? qua de re aliàs. Quid autem de vena azygo ſentiendum ſit, docet Veſalius libr. 3. de humani corporis fabrica cap. 7. prætereaeo libro, quem de Chyna inſcripſit. Porrò partibus aliquot ſub diaphragmate ſitis Galenum à caua vena ſurculos diſtribuiſſe Veſalius ſcribit, deceptus, vt conijcio, interpretum verſione, qui μικρῆς loco, magnæ, quaſi μεγάλης legeretur, aliquoties conuerterunt. Qua parte certè miror, cur non ipſos Græcos codices inſpexerit Veſalius, quum alioquin tantum eloborarit in eruenda paſsim rerum Anatomicarum veritate. Sed dedit eo loco illi haud dubiè negligentiæ (ſi tamen negligentia dici debet) occaſionem Galeni venæ cauæ mala diuiſionis ratio, qua aſcendentem ad iecur cauæ truncum ob id deſcendente multò minorem eſſe tradit, quòd hic plures, quàm ille, enutriat partes. Quum itaque euidenti viſus teſtimonio compertū haberet ſuperiorem ramū, ſecus ac Galeno placuit, grandiorem longè eſſe inferiore ad lumborū vertebras exporrecto: quod huius ope ſoli renes, veſica, teſtes, crura & inferior epigaſtrij pars nutriantur: ille verò ſepto, & per ἄζυγον toti thoraci, manibus, collo, & capiti vniuerſo, cumque hoc ipſi cerebro tot tantiſque vaſis ſcatenti, denique & cordi, & pulmoni viſceribus notatu omnino dignißimis & maximis, & arterijs, quas ſanguine ad cor delato impleri credimus, ſanguinem communicet; facilè adduci potuit, vt Galenum à caua vena in ventriculum, ometum, lienem & inteſtina propagines deriuaſſe crederet, quum, inquam, plures *Ad 18. depul.*

 corporis

corporis partes à deſcédente trunco foueri, atque ob hanc cauſam maiorem eſſe ſuo aſcédente Galenum affirmaſſe cerneret. Quod certè, vti eſt, ita à vero ſemper fuit ipſa etiam cogitatione alieniſsimum, niſi à iam dicto trunco deſcendente in iſtas partes, ventriculum. ſ. epiplpoon, meſaræon, & lienem ſoboles diſpenſari contenderis. Plurimùm huc fecit, quòd à vena magna, quemadmodum diximus, propagines in iam commemoratas partes diffundi legeret, quam vti κοίλην & ἡπατικὴν, ita interdum μεγάλην & quod propriũ portæ eſt πυλιχκαίαν nominauit Galenus: perinde vt Hippocrates dextri cubiti axillarem ἡπατικὴν, hoc eſt iecorariam, non aliter atq; ipſam cauam, quà cordi maximè vicina eſt, nuncupauit. Cæterùm & cauæ ramos, qui ad glandium pertingunt, & qui in crus diſperguntur, venas vocat μεγάλας Galenus. vt hæc nominum varietas vel ipſum Apollinem dubium incertumque reddere poſsit. Neque verò ex eorum nos ſumus numero, qui Veſalium non alicubi labi potuiſſe in re tanta, vti contrà Syluius Glenum nuſquam non bene ſcripſiſſe vult, pertinaciter contendamus, vt qui nihil humani à Veſalio alienum eſſe putemus. Humanum autem labi eſt, inſipientis prorſus hominis putare quenquã mortalium ab errore omni eſſe immunem. Quamobrem tot conuitijs nihil erat opus Syluio, ſiquidem non re (vt qui à porta ſoboles ventriculo, epiploo, & cæteris prius enumeratis partibus offerri doceat) ſed verbis duntaxat à Veſalio diſcrepet. In quibus quantum operæ & ſtudij ponendum ſit, ex ipſo adeò Galeno diſcat, qui alibi ex Platone ditiores nos ſapientia ad ſenium peruenturos, neglectis quàm curioſè diſquiſitis nominibus, aliquoties admonet. Vtcunque non ignorem verborum certam tamen habendam eſſe rationem, ex quibus tanquam rerum notis, quid quidque ſit, commodius & certius deprehendamus. quanquam hæc extra inſtitutum cuipiam videri queant. Pauca ſanè ex ampliſsimo venarum oceano excerpſit Syluius, atque ea duntaxat, quæ calumniæ præ cæteris potiſsimùm paterent, & in quibus dentes potius acuere quàm philoſophari poſsis, cùm plurima alioquin occurrerint alia paſſim hinc inde in Veſalij venarum hiſtoria, laboribus immé-

ſis

ſis inueſtigata, ſummo ſcripta iudicio, & talia de quibus in vtranque partem copioſè diſſeri licuiſſet: ſed quæ leuiora cenſet, quàm quæ, vt illius vtar verbis, coargui aut componi debeant: ita, puto, appellans ea quæ refutare nec, ſi velit, poſsit, nec ſi poſsit, præ inuidia, velit. Vnum illud ſilentio haud prætereundum putauit, ramum quẽdam, ſtyli ſcriptorij magnitudine, notabilem, ex liene ſtomacho exporrectum melancholiam efferre, vt appetentiam naturalem excitet, Auicennam atque hunc ſectantes medicos, potius quàm Galenum ſecutus. Cùm tamen non vna vena ſed plures ex ijs, quæ lieni exporriguntur venæ, ventriculum accedant numero diuerſæ, & quæ ſiniſtrum ventriculi latus petunt, arterijs perpetuò iunctæ. Inter quas præcipua ea eſt, quæ, ab ampliori venæ portæ ramo, lienis infimæ ſedi inſerendo, dependens, ventriculi fundum ambit, & ſuperiori membrana epigaſtrij ſuffulta, ramos elatiori ſua ſede in ventriculi anteriora poſterioraque emittit, Galeno alibi venoſus meatus dicta. Deinde & ea quæ inter plures alias ſiniſtrum ventriculi latus ex liene petentes venas facilè potior apparet, & à maiori venæ portæ ramo altiori lienis parti inſerto, principium ducens, raras quaſdam & apanthiſmis ſimiles venulas, quaſi ad ſuperius ventriculi orificium, educit. Quarum omnium is eſt vſus, vt per has lien aliquid humoris melancholici in ventriculum eructet & fundat, quo omnes ventriculi functiones, præcipuè verò retentrix virtus, Galeno etiam teſte, roboretur & firmetur: non autem, veluti Mauris placuit, vt famem: ſicuti Syluio, vt appetentiam excitet: quemadmodum aliquando alibi hac de re copioſius dicemus. Hactenus de venis, ad arterias progrediamur. *Lib.4.vſus part. cap.15.*

Quantum verò in arteriarum hiſtoria Veſalio debeamus, is fateatur oportet, qui Galeni aliorumque Anatomicorum monumenta cum cadauere humano contulerit. Niſi enim cæcus ſit, aut ex profeſſo veritati aduerſus, admirabitur, ſat ſcio, illam penè diuinam Veſalij in deducendis arterijs, earumque aſsignandis vſibus induſtriam & methodum, nõ minus autem deteſtabitur efferam iſtam & immoderatã Syluij calumniandi licentiam: qua non quod ipſe *Ad 19. depul.*

putat

putat, Veſalio tantùm, ſed ipſi rerum Opifici iniquiſsimè obſtrepit: atque iſtud in primis dolere videtur, veterum codicum (malo enim codicibus, temporumque iniuriæ, quàm ipſis authoribus id dare) lapſus eſſe detectos, arteriarumque ſeriem tandem eſſe ad vnguem Veſalio perſcrutatam. Quid aliud enim de eo ſentiremus, qui, quæ vni Veſalio imméſis conſtitêre laboribus & vigilijs, ſcrupulosè conquiſita, paucula & leuiſsima interpretatur? videamus autem, obſecro, leuiſsima illa & ſcrupuloſa. Illud me hercle conſtat, neque eſt qui negare id poſsit, ex tribus caluariam ingredientibus arterijs, vnius duntaxat ſeriem explicuiſſe Galenum, atque eum in modum, vt nec hanc certò illum cognouiſſe, ſatis perſuaſum habeamus. Nam carotidem (quæ rete illud mirabile, vbi in cranij capacitatem eſſet ingreſſa, efformare debebat) cùm iam caluariæ proxima eſt, integram in caput ferri ait: vtcunque hanc inſignem valde ramum, primo duræ meningis ſinu abſorbendum, retrorſum mittere Veſalio, omnibuſque rerum anatomicarum peritis, compertum ſit. Deinde jam dictam ſoporariam, poſtquam in cranij amplitudinem penetrauit, totam in πλέγμα iſtud δικτυοειδὲς abſumi teſtatur: cùm Veſalius & autopſia, præter quod huiuſmodi plexum in humano capite non offendunt, fieri omnino non potuiſſe, vt vniuerſa in hunc exhauriretur, eo potiſsimùm demõſtrent, quòd portio minimè exigua narium cauitati exporrigatur, ſoboles verò non pœnitenda, cum ſecundo neruorum cerebri coniugio, oculorum tum ſedem, tum ipſos etiam oculos accedat. Multa alia, quæ ad hoc negotium faciunt, huc referrem, niſi breuitati conſulerem. An verò hæc ſcrupuloſa & leuia ſint? Imò illa potius omnia ſunt leuiſsima, quibus Syluius ſe demonſtrare ſomniat rationem inueniendi beatum illud, nec vlli vnquam in homine viſum, rete. Ecquis obſecro tam rerum ſit imperitus & rudis, qui Syluium de mirãdi iſtius retis indagatione, vſu, & diuinitate, ceu quendam Lullium, de ſui lapidis philoſophici mentione, diſputantem audiens, non repente intelligat eſſe inania verba, & ſine mente ſonum? De alio plexu choroide, ſupra membranam duram, in anteriore cerebri conſiſtente parte: & quorſum

quorſum is vſus, quem retiformi illi & mirabili contextui falsò ferè omnes hactenus aſcripſerunt, referendus ſit, ex Veſalio repete. Proximum eſt vt de olfactus inſtrumento quædam his ſubijciamus. De hoc ipſo varij varia tradiderunt. Veſalius eas apophyſes, quæ ex cerebri baſe vtrinque iuxta viſorios prodeunt neruos, & ad ethmoidea tendunt foramina, neruis denique ſiue formam ſiue colorem ſpectes, prorſus ſimiles ſunt, ob id tamen, quòd, vt meningem capitis duram, ſic etiam ipſum craneum non egrediuntur, nerui nomine à diſſectionum peritis priuantur, olfactus organum, aut eſſe, aut certè huic ipſi præcipuè famulari, ſtatuit. Ventriculos verò cerebri anteriores (quanquam ijs non omnem odorandi vim, quod abſit, adimat) ſolum atque vnicum eſſe odoratus inſtrumentum; quales Galenus in libris de partium humanarum vſu, & alibi innuiſſe videri poſsit, id demum negat. Quo loco quî Syluius Veſalium reprehendat, non video, cùm tam anxius ſit in conciliandis Galeni ſcriptis, vt vni illi Veſalij ſententiæ, omnia tandem concordent. Cur autem Maſſam, cuius authoritate ſuprà quoque ſeptenum ſterni oſsium numerum perinde muniebat, hæc, meo iudicio, non exquiſitè docentem introducat, mirari ſatis non poſſum. Quis enim alius iſtos cerebri proceſſus vnquam in nares eduxit? an non eam ipſam ob cauſam, quòd caluariam non exciderent, eos Marinus, Herophilus, Galenus etiam ipſe, nerui appellatione ſunt dedignati? Sed integritatem accuſationis clarius cognoſces ex ijs verbis, quæ ex libello Galeni de odoratus organo Syluius in medium adduxit. Ex quibus cùm nihil aliud colligat, quàm eas apophyſes, quarum modò meminimus, Galenum cognouiſſe, vt qui ſic ſcriptum reliquerit citato iam libro: Cerebrum habet exortus duos oblongos concauos, qui ex anterioribus cerebri ventriculis ortum habent, & ad eam caluariæ partem, vnde naſus oritur, deſcendunt: Syluius addit, lunuliſque in margine obſignat: hi ſunt autem olfactus inſtrumēta, ac ſi Galenus hæc eo loci vnquam docuiſſe legeretur: quo cādore, lectori pio iudicium eſto. Quòd verò eodem libro Galenus ſcribit ſenſum olfactus ſitum eſſe in ventribus cerebri

Ad 20. depul.

rebri anterioribus, id dudum Veſalio occaſioné dedit, penitius inueſtigandi odoratus organon: quod qualénam ſit, iam nunc audiuimus. Hinc illæ Veſalij cum Galeno, & rurſus cũ illo Syluij, mutuæ diſſenſiones. Verùm vt quod res eſt fatear, Veſalio diſsidendi occaſionem cum Galeno præbuit dictionis obſcuritas. Quotieſcunq; enim olfactus organi mentio incidit, nõ proceſſuum quorundam, ſed meatuum cerebri dũtaxat Galenus meminit. Quod tamen adeò præcisè non eſſe accipiendum euidenter docet is locus, qui eſt in libro ſeptimo, capite decimotertio de dogmatibus Hippocratis & Platonis, vbi ſic loquiturr: Supereſt vnius olfactus inſtrumentum, quod non in narium meatibus ſedem habet, plerique putant, ſed in extremitatibus anteriorum cerebri ſinuum, quo narium meatus pertingunt. Idẽ confirmant ea quæ libro octauo vſus partium capite ſexto ſcribit, vbi odores ab vtroque cerebri ventriculo, proceſſu ad nares longo, nihilque ab ipſis ventriculis diſcrepante, deduci teſtatur. Quæ omnia copioſius tractauit Fuchſius lib.6. ſuæ Epito.anato.cap.13. Qua defenſionis, vel vt ab initio petijt, excuſationis ratione, cur non & Syluius vſus ſit, miror, niſi id potius mirari debeã, qui factum ſit, quũ ea, quæ à Veſalio in olfactus organo notata ſunt, malè ſcripta demonſtraturus eſſet, non eam quoq; animaduerſionem diluerit, qua Galenum per præfatos proceſſus pituitã è cerebro ad nares deferre perperam, annotauit. Cùm id potius choana illa, in quam cerebri ventrium anteriorum extrema deſinunt, quæque infundibuli ritu pituitoſa excrementa ad glandem deducit; & duo ad hanc vtrinq; canales, præſtent: quos ſolos id genus excrementis euacuandis animali bellè habenti ſufficere ipſemet docet Galenus libro octauo vſu partium, capite ſexto. Sed iſthæc leuia Syluio fortè viſa

Ad 21. depul. ſunt: proinde ad neruos properandum duxit. Quorum à cerebro ortorum paria ſeptem, veteribus & Galeno numerata, Veſalius retinuit, hoc potiſsimùm nomine, ne vſitatum Anatomicorum ordinem perturbaret: licet tertiũ & quintum paria verius gemina cenſeri poſſe primus obſeruarit. Ac tertium quidem par, quoniam Galeno exploratũ fuiſſe, ex nono vſus partium humanarum libro, vtcunque

conijci

conijci poteſt, non omnibus ignoratũ, ſed nulli diſertè expreſſum eſſe, vti certè factum eſt, tradit. Quintum verò omnibus & incognitum & indictum hactenus, ſua diligenti opera & indefeſſo ſecandi ſtudio, tandem Anatomes ſtudioſis eſſe erutum & declaratum ſcribit. Id quod palàm fit ex humani corporis fabr. 4. libri initio, vbi ferè in hunc modum loquitur: Quòd ſi (inquit) vt certè poſſemus, plura neruorum paria recenſere vellemus, par, quod nobis ex aliorum Anatomicorum ſententia tertium conſtituetur, verius duplex, quàm vnicũ enumeraretur. Dein iuxta quinti paris radicem, aliud omnibus incognitum Diſſectionum ſtudioſis par enaſci, ex diligenti ſectione obſeruatum, docerem. Hactenus ille. Quare non erat, cur tantum laboraret Syluius in eo demonſtrando, quòd tertium par multiplex (licet non multiplex, ſed duplex duntaxat ſit) Galeno quoque viſum, atque ob eam cauſam à Veſalio nequaquam primò inuentum ſit, cùm non tertium par, ſed quintum potius omnes hactenus latuiſſe, ex iam citatis verbis cognoſcere potuerit. Quæ præterea eo loco congerit Syluius, ea omnia vt tertio pari nonnihil adſtipulantur; ſic ad quintum, quàm nihil omnino faciant, illi manifeſtum euadit, qui loca à Syluio obiecta conferre inuicem, omniumque iſtorum parium ſurculorum ſeriem & partitionem acccuratius explorare non grauabitur. Nam quòd duo nerui ſe mutuò ſubſequentes, iiſque multiplices, foramine anguſto, & neceſſariò prælongo continentur; qui ab egreſſu, tum in oculorum muſculos, tum genam ſuperiorem, & malum ipſum, digerantur: quòd præterea à neruis, qui è regione oculorum ad muſculos temporales aſcendunt, & cilia, & quæ circa ſupercilia ſunt partes, & frons tota neruos adipiſcatur: quòd denique ab his neruis productio ad muſculos crotaphitas pertineat, per oſſa temporum excidens, & quæ reliqua Syluius in vnum colligit, quid quæſo hæc ad quinti paris duplicationem? ad tertij verò (nam ex prædictis verbis quod conijcias tantùm habes) non ne perparum? Ea enim radix, de qua nunc diſſerimus, quæ ad quinti paris exortum prorepit, ſurſum aliquandiu verſus priora, ſub cerebri baſe, protéſa *Lib.9. v.p.*

duram cerebri membranam pertundit, ac per proprium foramen, ſub ſecundi paris foramine exculptum, è cranio procidens, muſculo temporali illique offertur, qui in ore deliteſcens inferioris genæ ad ſuperiora motus author cenſetur. Quæ tametſi Veſalius abſolutiſſimè depinxerit, quia tamen quinti ſe paris gemini authorem eſſe, ſeque primò de eo, in plerisque alias quod neruos concernit Galenum ſecutus, prodidiſſe ſcripſit, Syluius furti illum accuſat, nō alia de cauſa, quàm quòd Galeno conſentiat. At Veſalius nihil perinde optat, atque Galenum per omnia veritati primò, tum ſibi conſentire. Quod ſi furtum eſt ſcribendo recta imitari, quis obſecro cruce dignior Syluio? qui etiam pharmacopœis, quorum integros ſæpe commentarios in ſuos tranſtulit libros, laqueo ceu ex ære ſit. Quæ tamen non ideo dico, quòd iſtius conatus laudabiles, quibus toti & communi medicorum ſcholæ profuit, quosque ob eruditionem in primis ſuſpicio, improbem; ſed vt hinc intelligat, hoc furto ſtante, maiorem furem ſe fore neminem. Neque ego video, qui Veſalio in reliquis neruis, vt Syluio viſum eſt, cum Galeno conueniat, cùm neruos opticos, ſecus ac ille, non perforatos, ſed integros & continuos planè eſſe doceat. Præterea ex duarum propaginum, à quinto neruorum pari, quum id adhuc in auditus inſtrumenti cauitate conſiſtit, verſus temporalem muſculum tertijque paris ramos eductarum, alterius tantùm Galenum meminiſſe teſtatur. Denique nolit, cum libri de neruorum Anatome authore, tertium neruorum cerebri par ſecundo eſſe mollius? Quibus accedunt ſex illæ ſacri oſsis neruorum συζυγίαι, quas coccygi, in homine foraminis experti, nec niſi tres idem Veſalius à Galeno adſcriptas eſſe tradit. Poſtremò neruorum recurrentium ſeriem à Galeno elegāter deſcriptam, Veſalius ſuccincta quadam & luculenta oratione ita illuſtrauit, vt nemò ante ſe alius. Quanquam ea ſit modeſtia, vt non modò hac in parte nihil ſibi arroget, ſed etiam lectorem ad Galenum, ceu fontem ipſum, vltrò diligenter & candidè amandet, penes quem immenſam illam ac diuinam omnino Opificis noſtri in his neruorum inflexionibus induſtriam celebrare admiratique diſcat.

Quæ

Quæ reliqua de neruorum crus petentium tum numero, tum ductu Syluius in dubiũ vocauit, leuiora cenſeo, quàm quibus hîc diutius immorandum ſit. At verò ſi quicquam in Anatomes negotio præſtitit Veſalius, tum in humani corporis muſculorum hiſtoria tradenda præſtitit. Quæ cauſa fuit, cur Fuchſius ab initio ſtatim ſuæ Epitomes anatomicæ ſe per omnia Veſalium, quod muſculos attinet, ſecutum eſſe teſtetur: quòd ſolum illum inter omnes hactenus Anatomicos, humanos muſculos deſcripſiſſe cõſtet. Galenus quidem varia varijs in locis de muſculis tradidit, ſed tam incerta, tam dubia, vt ſimias ne an homines interdum depinxerit, ipſum etiam Syluium ambigere neceſſe ſit. Id quod adeò ea monſtrant, quæ is vigeſima ſecũda ſua Depulſione recãtat. Nempe eòs omnes libros, quos de Anatomicis adminiſtrationibus poſteritati reliquit Galenus (quem ab initio abſolutiſsimum eſſe, neque quicquã in phyſiologia ab homine alienum, & quod non eſſet veriſſimum, ſcripſiſſe affirmabat) ſimiarum muſculos, non hominis continere. Quales eſſe quoniam Veſalius iandudum cognouit, & Syluius inficiari neque poteſt neque etiam vult, reſtat tantummodo, vt eos libros, quos de partium humanarum vſu idem Galenus cõſcripſit, & hic noſter ſolius humani corporis commentationem complecti ait, nõ paſsim ſanos eſſe, nec germanum vbique hominis exprimere contextum, non in muſculis ſolùm, ſed & cæteris corporis partibus, paucis comprobemus. Quod ſi præſtiterimus, an ne porrò Depulſiones illæ lucem ferant? an non iſtæ potius cum illa ſua palinodia in latebras quaſdam ſeſe abdent? Neque verò nos quicquam mouent annotationes illæ Syluij, quas paſsim allegat, quando illas hactenus neque viderimus, neque tales eſſe ex ijs, quæ Depulſiones nobis obtrudunt, facilè conijciamus, quas nos ab inſtituto reuocare meritò patiamur. Quid verò attinet pluribus id demonſtrare, cùm vel ipſius Syluij verba, quicquid id eſt, abundè declarent. Nam quòd adminiſtrationum commentarios ſimiarum eſſe contendit (quòd & ſimiarum hiſtoriam contineant, & earum frequens, vti nõnunquam hominis, mentio incidat) id & credimus, & vt crederemus

Ad 22. depul.

crederemus, re ipſa iampridem coacti ſumus. Iam contrà quòd libros vſus partium ſolius eſſe hominis ſua duntaxat fultus authoritate, nos perſuadere conatur, id certè ut ratũ habeamus, cùm utriusq; eadem ſit ratio, fieri nequit, quando & in his, ut ſimiarum mentio eſt percrebra, ita & ab hominis hiſtoria haud rarò diſceditur: imò multis hominem deſtitui neceſſe ſit, quorum illi nuſquam meminerunt. Id quod ex ipſius Galeni librorum uno atq; altero loco oſtẽdiſſe ſatis erit: quandò & Syluio placuerit in re obſcura eſſe breuiorem. Atque hic adeò commodè ſe offert ille tendo, cui tertij pollicis articuli flectendi munus datum eſt, quem graciliorem illis eſſe, qui tertios reliquorum digitorum articulos flectunt, Galenus tradit libro vſus partium primo. Quòd ſi iſtud de ſimijs, qui pollice hominis & mole, & robore, ac proin tendone etiam longè ſuperantur, accipias, bene eſt: ſin uerò de hominibus, minus: vt quibus natura peculiarem quodammodo muſculum, tendinẽ quendam verſus tertium pollicis os ualidiſsimum porrigentem, ijs, qui cæterorum digitorum os tertium accedunt, neutiquam inferiorem, fabricata ſit. Huc pertinet quod quinque muſculos, primi & ſecundi pollicis oſsium flexionis authores, libri de vſu partium ſcripti ignorent, atq; idcirco rationem comminiſcantur, nec ueram, nec recipiendam, qua pollicem in reliquos digitos verſus volæ centrum reflecti doceant. Quorum hæc eſt ſententia: Muſculum quendam in quinque aponeuroſes, priusquàm carpum ſuperet, diuidi, quarum quatuor, tres æquales conſtituentes angulos, quatuor manus digitos adeant, quinta autem, illi, quæ ad medium tendit digitum, tantiſper comes, donec in volæ medium peruenerit, illinc tranſuerſim ceu ex anulo, quali iumentorum habenæ reguntur, pollicem petat. Quæ quantum à ueritate abſint ocularis inſpectio maniſeſtiſsimum facit: Qui uerò hic pollex flectatur, ex Veſalij libri ſecundi cap. 43. pete. Si itaque vſus partium commentaria hominem ritè depingunt, vt iam dictis pollicis flexioni ſubſeruientibus muſculis homo careat probabimus, quos Galenum quoad vixit perpetuò latuiſſe ex libris tum partium vſus, tum alijs anatomen docentibus, colligimus; non obſtante

Libr. 1. cap. 17.

ſtante

ſtante quòd in ſecundo adminiſtrationum, decem muſcu-ſculos, quibus primi digitorum articuli flectantur, à ſe inuentos glorietur. Pari ratione & illo deſtituetur tendine, qui à portione tertij principij eorum, qui ſecundum ulnæ longitudinem ſeriatim enaſcuntur, pendens, radici primi pollicis oſsis in poſteriori ſede inſertus eſt, nec altius illis qui externæ pollicis ſedi offeruntur, conſcendit. Deniq; nec quatuor illos dorſum mouentes muſculos habebit, quos tanquam aliorum muſculorum partes Galenus reſecuit: duos quidem ab initio & fine tenues, in ſui uerò medio craſſos, qui à poſtremæ lati oſsis ſedis ultimo, ad ſpondylum uſque ſupra infraque ſuſceptum, intermedijs uertebrarum acanthis adnexi, pertingunt: duos uerò qui à thoracis uertebra, quam ſupra infraq; excipi iam diximus, ad ceruicem ſurſum exporriguntur, ſpondylorum quibus attenduntur, ſpinas occupantes, ijſq; firmiſsimè adnati ſunt, forma prioribus binis muſculis propè ſimiles; verùm tantò minores, quantò obſcurius thoracis uertebras, ipſis lumborum vertebris moueri, ac ſimul illarum ſpinas colligi, aut inuicem dehiſcere, in dorſi motibus experimur. Quorum ſanè omnium nulla planè fit mentio, nec in libris vſus partium, quos de homine tantùm ſcriptos eſſe vult Syluius, nec in ijs, quos poſt hos, de ſectionibus adminiſtrandis Galenus exarauit. Pauca, lectores ijdemque iudices optimi, ex multis recenſui, ex quibus tamen vos ſatis cognouiſſe videor, libros de partium humanarũ vſu, non minus atque reliqua Galeni anatomica, ſimiarum tum muſculos, tum verò vniuerſam penè hiſtoriã profiteri. Miſerum verò Syluij illud eſſe ſubterfugium planè, hinc potiſsimùm vobis patet, quòd Galenum anatomicarum adminiſtrationum commentarios poſtremò exhibuiſſe, eoque, meo quidem iudicio (αἱ γὰρ δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι) maturiores reddidiſſe cõſtat, vt libris de partium humanarum vſu nullo penitus iure poſtponi debeant. Id quod haud parum vel illud confirmat, quòd in his veriorem & ſolidiorem ſæpe ſententiam, quàm illis aſſequimur: vt in muſculo temporali & maſſetere manifeſtò accidit. Quos cùm tam in ipſa deliniatione, quàm vſu aſsignando, malè in libris vſus partium

enarrarit, in adminiſtrationibus, quas poſtea, uti iam monuimus, conſcripſit, pulchrè emendat & corrigit; iamque dictos muſculos diligentius exponit: nulla tamen prorſus facta vſus partium librorum mentione. vnde Veſalio etiam noſtro ſuſpicio aliqua haud immeritò oriri potuit, Galenum, de vſu partium libros, ſi modò vixiſſet, recogniturum fuiſſe. Quæ cùm ita habeant, lectores candidi, quid obſecro de cæteris Syluij Depulſionibus ſtatuamus? quid porrò de ijs ſperemus? vt quarum fundamenta iam partim noſtra opera, partim ſua ipſius illa palinodia funditus ſint ſubuerſa? Illud me hercle veteris illius poëtæ his occinendum putarim: Hinc fugite, & vanos alibi nunc vendite fumos. Quæ de lateſcente ſub pedis planta tendine Syluius ſubiunxit, ijs ſuperſedendum, ne nimij ſimus, duximus; cùm muſculum in lateſcentem illum tendinem eductum, in humano pede deprehendere non ſit: ſed ligamentum muſculo, qui ſecundorum quatuor pedis digitorum flexionis author eſt, obnatum, tendinis iſtiuſmodi officio fungi nobis exploratè perceptum ſit. Qua de re Veſalius copioſius in ſuis

Ad 23. depul. cōmentarijs anatomicis. Digna verò me hercle res, quæ virum & eruditione & ætate grauem, eo ducat amentiæ, vt quibuſuis etiā falſiſsimis & leuiſsimis excogitatis rationibus, aduerſarium proſcindere ſe, & conterere opinetur. Non enim veretur is Veſalium traducere, ac ſi ob epigaſtrij muſculorum duntaxat ordinem aliquoties mutatum, Galenum inſcientiæ & incōſtantiæ vnquam accuſaſſet. Libet autem ipſa Veſalij verba adſcribere, ex quibus illud texuit commentum, vt iuſtus rerum æſtimator eò promptius intelligat, Depulſionum illarum, non Syluium, ſed inuidiam cæcitate comite, authorem eſſe. Ea ſic ſonant, lib. 2. cap. 31. Neque unquan alius muſculorum abdominis, quàm nunc enarrauimus, ſitus viſitur. Vti forſitan aliquis librorum duntaxat ope nautam agens, promptè colligeret, pugnantibus nimirum Galeni locis deluſus. Quandoquidem hos aliter recenſet in libris de affectorum locorum notione, rurſus aliter in libris de vſu partium, & aliter prorſus de adminiſt. ſectionibus, vbi eos ita enumerat, vti in ſexto libro curatiuæ methodi ipſorū ſitum rectè deſcribit. Hæc Veſalius.

lius. Cuius verò hic inconſtantiæ aut inſcientiæ Galenum, inſimulet, quem in ſenſum Syluius iſta diſtorquet, lectores cãdidi, quid eſt quod amplius demonſtrem? Quum hũc & in libris adminiſtrationis & medendi methodo, epigaſtrij muſculos, vti debent, rectè, & ordine naturæ, id quod ipſe Syluius quoque vult, deſcripſiſſe tradat: in reliquis autem ordine inuerſo, neque ſaltem perinde apto: eius rei nos potiſsimùm ob id commonefaciens, ne diuerſæ Galenij deſcriptiones cuiquam, eas obiter fortè legenti, imponerent. Quæ breuiter hoc loco monere volui lectorem, vt ex vna illa egregiè futili Depulſione reliquas diſcat omnes. Nimirum his Anticyra, & helleboro, & quicquid vſquam eſt ſcámoniorum opus eſſet, quibus probè purgatæ, authorum ſcripta ſyncerius cãdidiusque poſtea citarent, et interpretarentur; nec locos integros deprauarent, & in alienum detorquerent ſenſum, quo modo ex ijs, quæ modò recitauimus, eas feciſſe luce meridiana clarius apparet. Sequitur autẽ nunc ventriculus. Quemadmodum huius plerique Anatomicorum longè maiorem molem dextro thoracis lateri attribuerunt, quòd ea parte iecori illum ſubijci, atque ab eo foueri, coctionisque vni impenſius augeri putarẽt; ita eiuſdem fundum craſsius & carnoſius, eandem ob cauſam, quod nimirũ ſic concoctricem facultatem perfectiorem reddi opinarentur, conſpici, literis mandarunt: vtrunque & à veritate alienum, & imaginatione potius, quàm viſu, aut tactu, deprehenſum. Nam ſi ſedulò rem conſideres & ventriculi à dextro ad ſiniſtrum tendentem dimetiaris latitudinem, vel duplum illius leuum latus occupare experieris: cùm quod lien paruus, parum ſiniſtræ ſedis poſsidens, ventriculi capacitatem facilè admittat, tum verò contrà hepatis haud mediocris craſsities eandem repellat. Pari ratione nec ventriculi fundum craſsius & carnoſius, ſi ſectionem diligenter adminiſtres, obſeruabis. Si qua enim eius pars craſſior aut carnoſior cenſeri debet, non humiliorem illam, ſed elatiorem potius ſedem, ipſi ſtomacho alioquin toto ventriculo carnoſiori propinquam, tum propter venarũ arteriarumque, tum & neruorum in illa concurrentium copiã, craſsiorem carnoſioremque iudicabis. vtcunque Syluius

Ad 24. depul.

coctionis virtutem obijciat, adque hanc iuuandam craſſitiem carneam neceſſariò requiri contendat. Quæ quidem ratio quàm grauis ſit & firma, declarant abundè organa illa multa & inſignia, quæ ventriculum ipſum, tanquam lebetem foci, vndequaque circundant & excalfaciunt: qualia ſunt iecur, ſeptum, ſplen, epiploon, vena caua, arteriæ magnæ truncus, colon, & inteſtina tenuia. Quæ omnia ventriculum partim complectuntur & ambiunt, partim illi attenduntur & connaſcuntur, hoc potiſsimùm nomine, vt alteratricem coctionis virtutem ſuo calore reficiat atque augeat. Quod ſanè lõgè efficacius prꝙſtare, vt quꝙ ſint inſtrumenta tum maxima tum calidiſsima, quàm confictam illam fundi carnoſioris craſsitiem, quis ambigat? Cæterùm, quòd vẽtriculo, qui à porta ſuas ſortitur venas, Galeni monumenta à caua venas communicare viſa ſint, id qui factum ſit, ſuprà oſtendimus. Porrò qui pylorum in parte ventriculi inferna ſtatuũt, à vero longiſsimè aberrant, nec audiẽdi ſunt, cùm is non infima, ſed elatiſsima potius dextroque ventriculi lateri proxima ſede, conſiſtat. Quod ſi itaq; Galenus dum infernè locat, nõ infimam regionem pyloro dicauit, nihil eſt quod perinde deſideremus. nam & ipſi Veſalio, quem Syluius tãtopere oppugnat, & quotidianæ experientiæ conueniet. Quanquam nos dubitare faciat, quod Galenus eodem loco, non alijs verbis, ſuperius ventriculi orificium, quod in ſupremo ſitum eſt, ſupernè, quemadmodũ iſtud infernè, quaſi infimo deprehendi ſcribit. Qua parte natura fortaſsis locaſſet, niſi cibos adhuc crudos ante iuſtam concoctionẽ inde perpetuò elapſuros proſpexiſſet. Ex quibus etiam planum fit, multò alias ventriculo, alias vtero eſſe, & actiones & facultates: quæ ſi eædem eſſent, quid obſtitiſſet amabò, quò minus & pylorum infimo poſuiſſet loco? Vterus quidem vbi concepit, ita anguſtatur, vt ſpecillum etiam validius impulſum vix admittat: ſed hoc fœtus potiſsimùm gratia, rei.ſ.nobilioris longè & excellẽtioris, ijs, quibus ventriculus vacat: licet is etiã non vulgari ſit functione præditus. Proinde quem vſum vtero officij præſtantia tributum cernimus, eundem natura compenſauit ventriculo, tum ſitu, tum verò craſsitie illa inſigni ipſius pylori, quorũ

Lib. 4. Veſ. part. cap. 7.

ope

ope os inferius illud conſtringitur, & quæ recepit alimenta tantiſper retinet, dum coctio ſit perfecta. Non autem hanc retentionem illa glãdulosa caro ſub finem pylori duodeno adnata inteſtino, vaſorumque illic ſecundum inteſtini longitudinem excurrentium, fulcro ſeu ſtrato deſtinata, iuuat: quemadmodum Galenum ſenſiſſe non crederemus, niſi is lib. 4. vſus partium, quos ſolius eſſe hominis antea ex Syluio audiuimus, eam glandulam pleriſque animalibus (non canibus tantùm vt falsò hic noſter ſubſtituit) ad pylori coarctationem, inſeruire docuiſſet: cuius verò beneficio hominis os infernum clauderetur, ſilentio planè prætcrijſſet. Vt hinc omnibus euidentiſsimum ſit, Veſalium nihil perperam affinxiſſe Galeno. Quòd ſi tamen iam dicta Syluio nõ ſatis faciunt, ſaltem iſto ſuo argumento, quo Depulſione ſexta, vt opinor, vſus eſt, ſibi ſatisfieri patiatur. Cùm enim eo loci quæ in brutis quàm plurimis, ea & in homine recipienda putarit, qui minus hic etiam, quæ de pleriſque animalibus, ea & in homine recipiantur? maximè eo in libro quem de homine ſolo ſcriptum eſſe, Syluium contendiſſe aliquoties iam monuimus. Non minus autem in inteſtinis quàm ventriculo, ob rerum anatomicarum ignorantiam, & imperitum diſſecandi ſtudium, hallucinatum eſt. Hinc enim eſt factum, vt eius inteſtini, quod gracile ſtatim ſequitur, nobisque cæcum appellatur, ferè omnes hactenus nullam prorſus, ſi nomen demas, cognitionẽ habuerint. Nam Galenum imitati (quem perinde homines atque caudatas ſimias, quæ appendice illa è tenuis inteſtini fine dependẽte, & verè cæco vocato inteſtino deſtituuntur, ſecuiſſe arbitrati ſunt) coli principiũ extuberantius, ꝙ duo ſibi proxima orificia obtineat, iſtius loco ſubſtituerunt. Parũ memores hoc ideo Græcis τύφλον, Latinis cæcũ, Arabibus verò monoculũ & orbum nũcupatũ eſſe, ꝙ vno tantùm ſit donatum ore, ſeu quod à dextra parte incipiens, vt Celſus ait lib. 4. cap. 1. in ſiniſteriorem longum ſit & peruium, in dexteriorẽ minimè. Eſt.n. cæcum inteſtinum, epiphyſis quædam prælõga, ex tenui inteſtino è ſiniſteriori coli initij ſede emergens, in homine cæteris omnib. inteſtinis breuior, anguſtior villorumq; beneficio hærens, & craſsiori lùbrico in orbes cõuo-

Ad 25. depul.

luto potius quàm inteſtino, præſertim craſſo,ſimilis. Vt to to cœlo errare eos neceſſe ſit, qui cæcum inteſtinum ventrẽ quẽdam amplum, & in craſsioris inteſtini initio inſtar globi cuiuſdam prægmagni extuberantem ſaccum, excrementis recipiendis idoneum, eſſe volunt. His tamen adhuc grauius Syluium errare conſtat, cui hanc epiphyſin iam dicto inteſtino fortuitò accreuiſſe, vel inteſtini cæci portionem in eã degeneraſſe, ſuſpicio propterea eſt, quòd iſtius nulla apud veteres fiat mentio: quos tamen & ſimiarum brutorumque animaliũ ſectione contentos fuiſſe iam prius abundè probauimus, & ſi fortè Herophili aut Marini illius viginti de cõſectionibus libri, cum Græcorum omniũ operibus, qui tũ in Græcia, tùm Alexandria in anatome claruerunt, temporum iniuria & hominum negligentia nõ intercidiſſent, quis dubitet, quin ij huius quoque appendicis meminiſſent? Syluio itaque cæcum inteſtinum, vt hominis deſcriptũ non eſt, vt brutorum deſcriptũ eſt. Vt quibus ea parte, qua coli hominis initium eſt, tale quoddam inteſtinum, cui opinio ipſius quadret, ductu, forma, & ſitu cæco hominis nõ admodum incongruum, ſed amplius locetur. Quod tamen ideo cæcum dici non debet, quòd non vno tantùm, ſi ſic haberet, vnde cæcum ſui nominis rationem traxit, ſed pluribus conſtaret orificijs, nempe tribus; vno tenui inteſtino cõtinuo; altero in epiphyſin illam & cæcum tẽdente; & tertio, quod cum coli initio commune obtineret. Maſſam iſtud inteſtinum ventriculo maius, ſæpe etiam minus, & vtrunque ſine epiphyſi illa cum noſtro Veſalio nonnunquam in glire aut ſciuro aliquo ſpectaſſe non negarim. Vaniſsimum autẽ eſt

Lib.6. quod ſcribit Syluius, Galenum in commentario Hippocratis morb. vulg. quarto tradidiſſe: ἐντέρε voce colon vel cęcũ, ob vtriuſque ſcilicet magnitudinem inſignem, intelligi debere. Nam Galenus eo loco, vbi Hippocrates τοῦ ἐντέρου meminerat, nonnullos ἔντερον, alios ἕτερον, eosque melius legiſſe multis docet: & ſubdit, in ἐντέρε ſignificatione nõ minus eſſe controuerſiæ, atque in vocabulo: nonnullos enim hac voce κῶλον, alios τύφλον, hoc eſt cæcum accipere inteſtinum: nullius penitus magnitudinis, quam inſignem hîc confinxit Syluius, mentionem faciens. Atque vt eos qui

ὕστερον ijs qui ἕτερον legebant, prætulit; ſic eorũ ſententiæ, qui colon intelligebant, potius accedẽdum putauit. Fortè quòd aut hominis inteſtinum cæcum, cæteris omnibus inteſtinis breuius atque arctiſsima omnium inteſtinorum parte multò anguſtius eſſe, & ſtrictius ex Herophili, Marini, Dioclis, Andreæ aut alterius ſcriptis perceperat, quàm quòd in huius affectu tantus articulorum cruciatus, de quo eo loco agit, mitigari poſſet: aut quòd coli principium cæco, quod in ſuis ſimijs deerat, ſubſtituens, non cæco ſed colo potius, tanquam digniori, id adſcribendũ eſſe iudicaret. Quæ Syluius reliqua de cæci forma hominibus olim vniformi nunc varia; & colo priuatim dicto canibus etiam hodie, vti ſomniat, mutato, ſuę Depulſioni vigeſimæquintæ annectit, quis tanquam mera ſomnia non meritò rideat? cùm audierit etiã noſtræ ætatis canibus, ob luxum opinor & venerem, mutata eſſe inteſtina. Nimirum hi olim venere non vtebantur, hodie luxu pereunt. Proinde apud Hippocratem ὗς potius, quàm κύνες eſſe legendum nemo tam eſt rerum imperitus, qui non intelligat. Quam vocem ab ſurdæ iſtius Syluij opinionis occaſionem extitiſſe Depulſionis paulò antè citatæ finis atteſtatur. Sed hæc de inteſtinis dicta ſint. quid in iecore deſideret Syluius, nunc videamus. Iecur humanum forma varium eſt, & ſuis, quibus accumbit, inſtrumentis reſpondet, corpus præcipua ſua ſubſtantia vnicum & continuum, ſuperius gibbum & læue, quà verò ventriculum amplectitur, omni propemodum ex parte cauum, fibriſque, quas Græci λόβους vocant, præter aliorum animalium morem, prorſus deſtitutum: niſi iuxta ſciſsionem ſeu rimam illam, qua vmbilici vena excipitur, aut portiunculam hepatis ſub ortu venæ portæ extuberãtem, inter fibras forſitan numeres; aut denique iuxta ſinum, quo iecur ſtomacho cedit, & in læua maximè eius regione, quà hepar ſepto connectitur, lobum ſtatuas. Quæ tamen, vt in alijs animãtibus, quibus iecur ita finditur, vt penè venarum interuentu duntaxat cohæreat, lobi nomine haud rectè cenſeri queunt. Quoniam verò Græci, vt ante nos Fuchſius annotauit, τὰ ἄκρα, hoc eſt extrema omnia, λόβους appellarunt, etiam iecur humanum lobis donari ſcripſerunt. Quò haud du- *Ad 26. depul.*

biè reſpexit Herophilus, cuius verba recenſet Galenus libro adminiſtrationum ſexto, & Syluius depulſione 16. adducit: quibus apertè docet, iecur in quibuſdam animantibus, ſcilicet in hominibus, ne fibras quidem habere, ſed ex toto rotundum eſſe & minus rectum: in quibuſdam tamen duas, in alijs plures, in multis etiam quatuor, obſeruari. Eiuſdem fuiſſe ſententiæ & Hippocratem & Rufum illum hepati lobos attribuentes, putandum eſt. Qua equidem ratione & nos iecur humanum lobos habere non inuiti dabimus, ſed alios & multò minores, quàm vel porcinum vel caninum obtineat; & qui magni, vt Syluius temerè aſſerit, nec dici, nec peculiaribus inſigniri debeant nominibus; quales nugas Theophilũ quendam & illum ſecutos plures alios, ſparſiſſe legimus. Rectè itaque Veſalius falſam illam & nimis tritam opinionem è veritatis ſtudioſorum animis exemit, iecurque humanum lobis carere, aut certè minimis paucißimiſque, & quæ in loborum cenſum meritò nõ veniant, rimulis, findi demonſtrauit. Vnde etiam eos plurimùm deceptos eſſe manifeſtum ſit, qui iecur horum loborum beneficio, tanquam mànibus quibuſdam ventriculum amplecti tradiderunt. Cæterùm venas quaſdam meſenterio ſeu ipſi παγκρέα exporrectas, nec ortas ab hepate Galeno viſas eſſe, Veſalio non viſas, atque ob id non fuiſſe negandas, Syluio placet. Atqui quomodo non negandæ eſſent, mi Sylui, cùm totum meſaræon accuratißime examinanti, ne quidem minimum eiuſmodi vaſorum veſtigium ſeſe offerat, & tu non ita pridem cum Galeno contra Ariſtotelis de venarum ortu ſententiam, hepar αἱματώσεως (ſic enim vocat Galenus) ὄργανον, venarumque omnium principium, nec vllam exiſtere venam iecori non commiſſam, benelongo ſermone aſſerueris? Adde quòd id genus venas nec te vidiſſe, vti certè videre impoſsibile fuit, nec vnde ortum ſuum traherent, indicare potueris. Ne igitur naturæ repugnes, aut quicq̃ ſequare quod aſſequi nequeas. Vt itaque illud vitio dandum non eſt Veſalio, ſi, quòd non eſt, nuſquam reperiri oſtendit (vti iſtas iam commemoratas venas nullas nec eſſe nec ſpectari vſquam in hominibus demonſtrauit) ita nec Herophilus, nec Hippocrates erroris accuſandi,

Adminiſt.6.

Lib.4.vſus part. cap.12.

accuſandi, veluti Syluius putat, à Galeno fuerunt, vt qui huius cotyledones, quas fœmineo adſcripſit vtero, receperit, quæ quales Hippocrati ſint viſæ poſtea docebimus; illius verò ſcripta toties non approbarit ſolùm, ſed etiam in ſuos ſæpe ob authoritaté tranſtulerit libros. Neq; in vaſis ad vterum muliebrem Herophilo deductis, quicq̃ reperio cauſæ, cuius gratia Galenus illum reprehendere potuiſſet, cùm is ea vaſa in ſimijs, ſed rariſsimè, ſibi obſeruata, in libello de v-teri anatome palàm teſtetur. Quo etiã loco nõ obſcurè innuit, Herophilo, tametſi quædã in ſuis ſimiarum ſectionib. non ita affabrè, vel fortè omnino non occurrant, tamen fidem haberi poſſe, ꝙ is Anatomes cognitionem exactã, non vt plerique in animantibus brutis, ſed in ipſis hominũ cadaueribus adeptus ſit. Porrò renis dextri ſitum cùm ignoraſſe Galeni anatomica videantur, vt quæ hunc ſiniſtro longè altiorem, licet plerunque contrarium accidat, tradiderint, quid mirum & rationẽ, quam ſubiungunt, eſſe minus firmã, & cum ſitu malo, malam? Hac dictum iam renem ideo ſiniſtro editiorem eſſe docent, vt ob rectitudinem promptius attrahat, viſcerique purgando propius accumbat, cùm tamen quæ dextro cauæ venæ lateri adſcribit Syluius (qui hinc ſuam probationẽ mutuatur) ea & ſiniſtro adſcribi debeant. Vt nullum vſqueadeo amentem eſſe exiſtimem, qui poſticum, cauæ venæ ſecundum iecur deductæ, caudicem ſedulò contemplatus, non eandem rectitudinem vtriq; tribuendam putet: maxime cùm videat ex iecore tam in cauæ latus dextrum quàm læuum eundem fibrarum venarumque numerum ſubinde deriuari, atq; vtrunque cauæ venæ caudicis latus iecoris ſubſtantiam æquè complecti. Adhæc quoniam vtrique pariter attracturo, viciniam natura cõmodare proſpiceret, ſiniſtrum renem longius iecore diſtantẽ optimo conſilio altius locauit, vt quod dextro hepatis propinquitas, id ſiniſtro ſitus editior præſtaret. Iam verò in penis humani deſcriptione etſi pleraq; Galeni, non viri, ſed bouis potius pudendo, competãt; tamen vel illud verè prodidit, meatum tum vrinæ tum ſemini eſſe communem, libro vſus partium decimoquarto & 15. At verò Syluiũ non pudet tanti cõmenti, quo falſiſsimè & citra omnem veritatem

Lib. 5. vſus part. cap. 6.

Ad 27. depul.

Veſalium

Veſalium contrà inſimulat, ac ſi is vnquam docuiſſet Galenum diuerſos vrinæ & ſpermati tribuiſſe meatus. Atque adeò quæ Veſalium Galeno affinxiſſe comminiſcitur, is ipſe Syluius Veſalio iniquiſsimè, nec ſine oſcitantiæ, qua in Veſalij librorum lectione vſus videtur, argumento, affingit. De cæteris quidem pudendi partibus, aut neruo quem cauum ineſſe, & ligamento, quod à pubis oſſe enaſci voluit, & muſculis, cum Galeno Veſalium diſſentire nõ negamus: verùm in poro lotij & ſeminis cõmuni non Galeni, vt Syluius ſtudioſè ſomniauit, ſed Arabum, qui non duplicem tantùm ſed triplicem confinxerant, dogma euertit. Vbi hic Anticyra? & væſana cohors? Præſtat autem ipſius Veſalij verba de penis fabrica huc adſcribere, vt candidus lector eò promptius fucum deprehendat. Ea ſic habent, lib. 5. de hum. corp. fabr. cap. 14. Si itaque humanum penem reſecueris, nõ vnum concauum neruum reperies, aut ligamentum à pubis oſſe enatum, quemadmodum Galenus docuit, ſed duo quæ deſcripſi corpora, quæ nõ vacua & ſanguine indiga, vt Galenus boum pene deluſus malè ſcribit, exiſtunt, ſed fungoſa illa & carnea, veluti, vti Ariſtoteles rectè innuit lib. primo hiſt. animalium, quæ materia & nigricante ſanguine plurimo, inſtar farciminum, implentur. Deinde ad ſeminis vrinæque meatum alij non exporriguntur muſculi, quàm duo illi quos à recti inteſtini orbiculari muſculo pronaſci oſtẽdimus. At Arabes adhuc magis miror, qui tres in pene finxêre meatus, vnum vrinæ, alterum ſemini, tertium viſcido humori à glandoſo, veſicæ ceruicis cõnato corpore deſcendenti attribuentes. Verùm facilè exiſtimo hanc ſentẽtiam primùm ab Arabe quopiam fuiſſe inuectam, qui penis ſectionem aggreſſus eiuſque fabricam Galeni placitis non conuenire animaduertens, tres arbitratus ſit eſſe penis meatus, duo quæ dixi corpora, & meatum ſemini vrinæque & dicto etiam nuper humori cõem. Quandoquidem ſingula corpora niſi ſanguinem nigricantem inter ſecandum abſtergas, ſinguli meatus apparent, quibus accedit tertius qui verè meatus eſt. Hæc ille. Quapropter, lectores optimi, vos obteſtor ne his fidem duntaxat detis, ſed vt ipſos codices, ipſum archetypum cõferatis, euoluatis, examinetis; & tum

immane

immane illud commẽtum, ex ſola & chriſtiano certè homine indigniſsima inuidia profectum, ijs Dijs deuoueatis, quibus Syluius ſuis illis Depulſionibus maledicentiſsimis, veram Anatomen eiusque miniſtros fidiſsimos, paſsim conſecrare conſueuit. Reliquum eſt vt de vtero pauca quædam his addamus: quandoquidem & Syluius poſtremo loco de eo agendum putauit. In huius enarratione prolixiorem eſſe Syluium mirum non eſt, quando is eorum eſt è numero, quæ haud vulgariter demonſtrant, Galenum bruta animantia, non autem homines, ſectioni adhibuiſſe. Si enim humanum intueare vterum, eiuſque formam, magnitudinem, ſubſtantiam, nexum, & ſitum accuratè expendas, pleraque ſe offerent, quæ cum Galeni ſcriptis euidenter pugnabunt. Proinde cùm ſecum iandudum ſtatuerit, nihil ab homine alienum, tam in hac, quàm alijs corporis partibus, à Galeno eſſe traditum, neceſſe habuit, vt ſi non firmas ſaltem verboſas rationes aduerſus Veſaliũ, qui primus poſt Herophilum, cuius tamen ſcripta perierunt, legitimam veteri ſintaxin docuit, attuliſſe videretur. Itaque centonem quendam ex varijs Galeni libris conſuit, quo muliebrem vterum huic diſſectum eſſe, non autem vaccinum ouillum aut caprinum ſe conuincere ſomniat, longa verborum ambage, & mutuatis tam ex Galeno, quàm ipſo etiam (ſi penitius rem conſideres) Veſalio ſententijs. Qua quidem, opinor, ratione difficile omnino non ſit, vel comicũ aliquid, vel tragicũ, vel denique quiduis aliud ex Galeno texere. Nos breuiores nonnihil erimus, contenti lectorem admonuiſſe, atque vno aut altero argumento monſtraſſe, Galeni anatomen magna ex parte brutalem non hominis profiteri vterũ. Nã vt hoc loci ea, de quibus iã antea Veſalius tanto doctorũ hominum applauſu copioſiſsimè ſcripſit, ad longum recudere ineptum eſſet, ita centonem illum Syluij, indignũ qui ſuſius reuellatur, iudicamus. Venit igitur initio, lectores atque iudices optimi, obſeruandũ ea, quæ in libris vſus partium traduntur, pleraque ferè muliebri reſpondere vtero; quòd aliorum illic Anatomicorum Galenus placita (vti ea etiam quàm obiter recenſet) potius, quàm quæ ex ſectionibus ipſe didicerit, ſequatur: quæ verò in libro de vteri anatome

Ad 28. depul.

tome poſteris reliquit, mixta; partim hominis, quę ex Herophilo, Diocle, & alijs accepit; partim aliorum animalium, quæ ipſe met diſſecuit, & ab homine parum, aut nihil differre putauit, deſcriptionem continere. Id quod adeò tunica vteri interior abundè commonſtrat. Hæc enim non prægnanti vtero omnibus aliorum corporis inſtrumentorũ tunicis craſsior quidem eſt, diuerſa tamen conſtat craſsitie. Nam ad fundi quod efformat orificiũ craſsiſſima exiſtit, & inſigniter compacta: medio autẽ ſuperioris fundi regionis loco admodum quoque craſſa eſt, & in ipſum veluti ſinum protuberans: quà verò cornua veteribus & præſertim Diocli collocabantur, vterusque in duos obtuſos angulos, quibus ſpermatica excipiuntur vaſa, deſinit, tenuior minusque ſpiſſa cernitur. Iam in laterum anteriori & poſteriori parte, ea eſt craſsitie, vt nihil præter ſubſtantiam & villos, quibus abundat, intueri liceat. Hanc tamen Galenus geminam eſſe docet libro de vteri diſſectione, qualem certè vti in alijs animalibus ratione priuatis videre eſt, ſic in homine diuerſæ quidem craſsitiei, ſed planè vnica, ſola, & indiuiſa, quemadmodum modò diximus, deprehenditur. Quòd ſi in vaccino vtero eam partem, quæ à ceruice ad cornua vſque deducitur, tunica à peritonæo his partibus obducta liberaueris, interior tibi quàmprimùm comparebit, non vna quidem vti exterior, ſed duplex, vtriuſque ſcilicet vteri partis, ſecus ac in fœmineo, vna peculiaris. Neque obſtat, quòd Veſalius tunicam vteri interiorem linea quadã obſcura, futuram ſcroti virilis imitante, quaſi diſtingui docuit; cùm id, etſi verũ eſt, tamen idcirco tunicæ vnitati quid demat non videam. Præterea inter externam internamque vteri tunicam haud mediocrem venarum arteriarumque plexum conſiſtere, internæ tunicæ tam pertinaciter inſertum, vt tunica venoſa meritò appellari debeat, libellus de vtero teſtatur. Hunc venarũ arteriarumque concurſum in beſtijs obſeruamus omnibus, muliere nulla. Quarum vteri ſubſtantia adeò compacta eſt, vt in non grauidis, venæ quædam capillamentis tenuibus ſimiles ægrè admodum compareant, tantũ abeſt, vt iſtę tunicæ multis aut cõſpicuis venis intertexantur. His accedit quod

Galenus

Galenus ipſe citato iam libro vaccæ aut capræ vterum muliebri ſimilem eſſe nõn ſemel ex profeſſo teſtatur, nec alicuius vſq; differentiæ mẽtionem facit. In ſitu etiam vteri, vaccas ſe potius q̃ fœminas incidiſſe monſtrat, vt qui vterũ ſitũ os ſacrũ excedere, & ab inteſtino recto ſupra vaſa lũbis exporrecta, vbi infimæ lumborum vertebræ conſiſtũt ſurſum vergere tradat, vtcunq; non prægnantis fœminæ vterus ſitu longè ſit inferior, q̃ vt eò pertingat, vbi ſacrũ os vltimæ lũborum vertebræ connectitur. Neq; etiã vaccarum & canũ ritu vterus vmbilicũ verſus tendens veſicã excedit, cum illis ceruix vteri longiſsima collumq; erectũ, mulieri contrà & breuior & minus erectũ contigerit: quin & in ceruicis fine ſeu cunno, à veſicæ collo exceditur. De forma pariter vteri quid ſtatuat libellus de vtero, ægerrimè deprehendas. Nam etſi initio Herophili ſentẽtiæ acquieſcere videatur, cùm illã veſicæ cõparat; tamen paulò poſt ſimulatq; Herophili, qui uterũ ueſicæ & quartæ circuli parti; Dioclis, qui cornibus pronaſcẽtibus; Eudeni, qui cyrrhis & promuſcidibus ſepiarũ & polyporum; Praxagoræ & Philotimi, qui κόλποις, hoc eſt ſinibus, aſsimilarant, varias expoſuit ſententias, humanũ vterum vaccino aut caprino ſimilẽ eſſe affirmat. Haud obſcurè innuens, ſe cæteris potius, q̃ Herophilo accedere, vtcunque illi apertè contradicere, ob ſummã rerum anatomicarum cognitionem, vereatur. Eſt autem humanus vterus veſicæ inſtar quodãmodo rotundus, & ſi totum conſideres, latior q̃ profundior, ac ſuperiori parte nonnihil depreſſus, quartam circuli partem aut creſcentẽ modò lunam repręſentans, & quædã quaſi vtrinq; tubera exerens, Diocli cornua, quod exorientibus vituli cornibus ſimilia eſſent, appellata. Hæc deſcriptio quãtũ ab illorũ πολυκόλπων καὶ πολυτόκων animalium vtero variet, ij demũ ſciunt, qui & canum & porcorũ cum vaccarum vtero differentiam etiã haud pœnitendam non ignorant. Vaccarum.n. vteri fundum, vt cætera omittam, quaſi in duo, quibus graphicè cõparauit Veſalius, arietũ cornua inuicẽ abſcedentia dirimitur, ſecus q̃ in ſuibus & canibus animalibus multiparis, quorum vterus ſtatim ex ſui fundi cum ceruice nexu, ita bifurcatur, qualem propemodum circinus aliquis ſuis cruribus mediocriter diductis figuram *Humanus vterus.*

guram

guram exhibet. Duo illi diuiſim eminentes apices nō grauidis nullibi inflectūtur, grauidis verò pro fœtuum numero ſemper complicatæ obſeruantur. Quos veterum nōnulli, propterea quòd ſua forma inſigni cuidam reſponderent cornu, & in his fœtus ſeriatim continerētur, cornua fœtum complectentia non ineptè nominarunt. Quæ quidē differentiæ Galenum non parum turbarunt, imò tam reddiderunt dubium, vt is brutali potiſsimùm intentus vtero, cui veterum tandem ſubſcriberet, vix compertum habuiſſe videatur; quū vtriſque, Herophilo ob authoritatem, cæteris verò, vt Praxagoræ & Philotimo, quod ſuo brutali vtero propius accederēt, refragari nefas duceret. Iam verò ſi magnitudinem vteri ſpectes, fundum longè minus in homine offendes, atque Galenus reperiri ſcripſit. Siquidem vterus fœmineus in non grauidis triū digitorum latitudinem nūquam æquat, vt & fundi longitudinem, totidem digitorum latitudinē, nemo vnquam exceſsiſſe cognouit. Colli verò longitudo varia eſt, quòd membranea nerueaque & ductili conſtet ſubſtantia, ideoque id extenſioni plus ſatis interdū obediens & nimis ſubinde ſequax eſſe ſunt qui inuiti, vt Veſalius alibi iocatur, indies experiantur. Vt planè ridiculum ſit vteri longitudinem digitis metiri velle, vt cuius perinde ac pudendi virilis, nunc tenſioris nunc contractioris, dimenſionem certam conſequi valeas. Hæc ſunt, lectores iidemque iudices optimi, quæ breuiter vobis demonſtrant, Galeni anatonica, præcipuè verò libri de vteri ſectione, quadrupeda nō hominem docere, aut certè ex vtriſque mixtam eſſe hiſtoriam, quicquid ille tandem ſuo iſto centone reclamet. Egregiæ verò probationes, quibus ſe cōuincere iactat Galeno humani, non brutalis, vteri ſyntaxim in dictis iam libris eſſe deſcriptam. Atque id primùm oſtendere ait frequentem vteri humani in ijs libris mentionem. Ignarus hac ratione libros adminiſtrationum, in quibus hominis mentio perfrequens, hominis ſolius fore: libros de vſu partium, in quibus ſimiæ mentio frequentiſsima, ſimiæ ſolius fore, cùm tamen hos ſoli homini, illos verò ſoli ſimiæ prius dicârit. Quòd autem in libro de vteri anatome hominis ſæpe meminit, id Herophili librorum occaſione factum eſſe quis dubitet,

dubitet, cùm diſertè, quæ in ſuis ſimijs deerant, ex Herophilo eodem libro ſuppleat. At ſi mentio ad probãdum ſufficiat, plurima ſanè eademq́ue maxima reperias organa, quę Galenum nunquam in homine ſpectaſſe contẽdemus, quod in eorum deſcriptione quadrupedum frequenter, rariſsimè hominum meminerit. Deinde vteri formam id ſatis declarare putat. verùm vnde hanc veſicæ comparauit? an non ex Herophilo? Rectè quidem; ſi modò in hac perſtitiſſet ſententia, & non ita multò poſt, hanc deſerens, muliebrẽ vterum capræ aut vaccæ ſimilem ſpectari pronunciaſſet. A' quibus quantum diſtet, nec Syluium fugit, qui ſpectari vtrunque & tangi multùm diſsimilem apertè fatetur. Tertiò cornuum obijcit breuitatem. Et hanc apophyſeon breuitatem ex Herophilo, aut Diocle, quem eas cornibus vitulorum pronaſcentibus comparaſſe ſuprà dictum eſt, petitam eſſe, conuincit palàm, quod ex eorum authoritate illas mamillarum papillis confert, & quoniam in fœmineo vtero eas non ſpectarat, in vaccino ſpectarat, cornua vtrique ſimilia & paria, licet vaccarum multò ſint longiora, tribuit. Quartò & vltimò cotylidones vteri affatim iſtud comprobare inquit. Quæ num ſint nec ne, & ſi ſint quales eſſe debeant, poſtea dicemus. Nunc illud ſciendum, tantum abeſſe vt per cotylidonas, vterum muliebrem Galeno diſſectum eſſe, probes, vt nullus perinde locus in vniuerſa ferè occurrat Anatome, ex quo clarius contrarium colligas. Non enim ſe iſta acetabula in homine obſeruaſſe vllibi, quod ſciam, teſtatur, ſed illud docet, cotylidones Hippocrati intellectas, tametſi ægrè intuentibus compareant; tamen ob id repentè non eſſe negandas, quod & Diocli & Praxagoræ (licet hos antea rudius in ſectionibus verſatos ſcripſerit) viris maximis cognitæ & exploratæ ſint, Quinetiam lib. 5. aphor. comment. 45. ex primo Praxagorę Coi περὶ φυσικῶν, quæ cotylidones ſint, monſtrat: & in libro de vtero adhuc clarius oſtendit, ſe non ex vaticinio, ſed Praxagoræ authoritate ſtatuere, cotylidones eſſe venarum arteriarumq́ue ad vterum delatarum ora, ita in vterũ prominentia, vt in inteſtino recto hæmorrhoides nõnunquam gliſcere videmus. Quæ ſanè ad hunc modum habere Galenus

nus ſine dubio aliquoties expertus eſt, ſed in vaccis & brutis animalibus, vt & Praxagoras, longè aliter de iis ſcripturus, ſi in humanum incidiſſet vterum. Quē quum Syluius ob hanc cauſam non ſemel ſtudioſius inquireret, nec tamen quicquam reperiret acetabulo vſqueadeo ſimile, à Galeno autē veluti per omnia abſolutiſsimo recedendum non eſſe æquum duceret, diu fluctuans tandem eò euadit, cotylidones muliebris vteri tam eſſe obſcuras, vt viſum effugiát (hęc enim illius ſunt verba) & ratione propemodum magis quàm viſu vſurpentur. Callidum profectò ſubterfugium, & tam maledico ſcriptore dignū: nimirum obſcuræ ſunt, vt ſi Argum adhibeas, tuber tamen aliquod eiuſmodi in muliebri vtero nullum penitus deprehendas, vti contrà in vaccis quàm facillimè. Sed age ſi tam ſunt obſcuræ, Sylui, cotylidones, quales tu eſſe fingis, qui fieri poteſt, vt vaſa tam minuta, & quæ ob paruitatem conſpici nequeant, mucco plena, fœtum tanti momenti rē, ſecūdo, aut quod magis eſt, tertio menſe, vtero eijciant? Sed ais, concepto partu grandeſcunt, nec eas ſemper apparere voluit Hippocrates, ſed tum maximè, cùm mulier vtero gerit & dum menſes fluunt? Accipio, atque illud tibi do (quanquam parturiente muliere eas vix etiam comparere ſcribas) fœtu nempe concepto maiores ſpectari, tamen iſtud ſatis haud aſſequor, qui obſcuras & vix apparentes cotylidonas etiā non vtero gerente affirmare queas, cùm menſtruis fluentibus, quæ ſingula repetunt luna, perinde grandes eſſe atque in grauidis & parturientibus aſſeras? Videtis, lectores candidi, quantum inconſtantiæ pepererit Syluio res præ inuidia non ſatis cognita, & ſcripta veterum ſtudioſè perperam intellecta. Sunt autem Hippocrati dictæ cotylidones, vaſa minimè obſcura, fœtu concepto ex vtero in chorion porrecta, quæ noua & inualida ſi mucco circa ſecundum aut tertium menſem turgeant, præcipuè fœtu exiſtente grauiore, leui occaſione rumpuntur, & abortire pręgnantem cogunt. Atq; hę ſunt verę Hippocratis cotylidones. Quas qui vberius cognoſcere cupit, Veſalium copioſè de his diſſerentē legat de hum.corp.fab. libro quinto. Quæ hactenus diximus non eſt cur quiſpiam Galeni odio nos ſcripſiſſe calumnietur,

ſe calumnietur, quem in primis tanquam vnicum medicinæ miraculum ſuſpicimus, quod quantum potuit (potuit autem quàm plurimùm) præſtitit, ſed veritati, & dein ijs qui huic quàm proximè acceſſerunt, ſubſcribere nos patiatur: atque illos damnet, eorumque peruerſam in authores ſuperſtitionem & nimium affectum potius improbet, qui eò deueniunt amentiæ, vt quæ parum rectè à veteribus ſcripta etſi cognoſcunt, tamen vera, rata, & omnibus recipienda eſſe, Dijs etiam ipſis inuitis, volunt & contendunt; ſuiipſius tam parum memores interdum, vt illi ipſi ſæpe quem defendendum ſuſceperunt, aut pugnent, aut in abſurdas ſecum præcipitent opiniones, aut denique, dum aduerſarium fruſtra inuehuntur, & ſenſum, ſi quem habuerint prius verum, amittunt omnē, & erroribus ita ſe irretiunt, vt quàm abſurdè, q̃ leuiter, quàm omni ſine ratione de rebus pleriſq; ſtatuāt, planè etiam non aduertant. Argumento eſt meatus fœminæ vrinarius, quem Syluius in ceruicis vteri cauitatē, vbi primùm ſub pubis oſſe cum hac ſurſum flecti cœpit, ceſſare negat, contra manifeſtam veritatem & euidens oculorum teſtimonium. Quòd ſi enim ſupino corpore, manu docta, vteri collum à cæteris illi adiacentibus partibus, præter poro iſto vrinario, ſepares, obſeruabis hunc fibris membraneis ipſi connatum, inſidere, cumque illo eouſque progredi, donec ſub pubis oſſe ſurſum flecti cœperit, tum in vteri ceruicis cauitatem deſinere. Viris porus iſte vltrà porrigitur, & non ſolùm vrinæ, ſed & ſemini deducendo, quemadmodum ſuprà oſtendimus, famulatur. Plura de his hoc loco dicere ſuperuacaneum eſt. Nos viſus teſtimonio affirmamus, Syluius inuidia negat. Tuum erit, lector candide, quæ noſtra iſta tota Apologia confutauimus partim, partim docuimus, tuis ipſius oculis & ſenſibus indagare, rimari, eruere: vt planius tandem intelligas ex omni ægritudinum genere morbum inuidia non eſſe grauiorem. Vt quæ nos non ignorantia rerum duntaxat, vt vniuerſas iſtas Depulſiones, obruit & infatuat, ſed efficit vt id quoque quod oculis conſpicias, manu tangas, ſenſu deprehendas, ignorare vltrò malis, quàm quem odio proſequendum ſtatueris, quæ recta ſcripſit, bene ſcripta fateri.

Peius autem longè & deterius, ignorare velle quæ ſcias, videas, palpites, quàm quæ ignores nec videas nec tangas, neſcire; cùm hoc infelicis ſed tamen hominis, illud verò improbi & communi ſenſu indigniſsimi hominis ſit. Poſtremò fœtus inuolucra Syluius inuoluit. Quæ dum ex Galeno corradit tã ſibi ipſi placet, vt battologiæ lõgiſsimæ ſimul & leuiſsimæ nullum finem imponere poſſe videatur: loquacior eo loco, quòd Veſalium in fœtuum humanorum inuolucris, vti is ipſemet ingenuè faſſus eſt, minus exercitatum legerit. Hanc dicacitatem ſuprà memini me deſiderare in muſculis, quos tam leuiter tranſijt, vt videar vos etiam lectores iam mecum mirari ſatis non poſſe, Anatomicum tantum tanti momenti rem, & in qua Veſalius à Galeno toties & tam grauiter diſſentit, non aliter neque grauius diſcuſsiſſe. Si obſcuriores erant muſculi? eo proinde ſtudioſius veniebant explicandi. Nam hoc muſculorũ mentioni Syluius addebat, cùm non tam muſculorum obſcuritas, quàm Veſalij grauibus firmata argumentis authoritas hominem deterruiſſet. Habetis, lectores, rationem ſermonis illius de membranis fœtum ambientibus, muſculis, ni fallor, haud multò minus obſcuris, prolixiſsimi, quem quàm leuem genere ipſo, quàm falſum re, hoc loci declararem, & vbi à veritate diſcedere intelligo (diſcedit autem quàm ſæpiſsimè) diluerem, denique quàm iniquè tam Galeno etiam interdum ipſi, quàm Veſalio, quem in pleriſque falſiſsimè perſtringit, obſtrepat demonſtrarem: niſi in hoc priuatum mihi pararem ſcriptũ, in quo tam fœtum ipſum, quàm generationem eius, membranas, vterum, ſpermatis agentis, &, vt vocant, patientis energias, & quæ reliqua ad id negotium faciunt, DEO dante, propediem publicabimus. Illud tamen obiter interea hic monendum, allantoidem tunicam ἀλλᾶντι id eſt farcimini (ἀλλᾶς enim farcimen ex carne & farina ſubacta dicebatur, ſimilem veteribus nuncupatam eſſe, non quòd carnibus farta ſit & plena allantoides, vt Veſalium ſcripſiſſe Syluius videtur innuere, ſed quòd chorio extimo fœtus inuolucro ab hac auulſo, ſi cum allantoide fœtus eximatur, is farciminis quodammodo imaginem repræſentet, allantoide inteſtini

ſtini, fœtu autem fartorum rationem obtinente. Cæterùm in thoracis partibus internis Galeno Veſalium per omnia conſentire, eo candore, quo cætera ſcripſit, Sylvius affirmat, excepta azygo & pulmonis lobo quinto, aut dextri lateris tertio: cùm tamen & ventriculum & epiploon & iecur & lienem & pericardion, omnia inquam illa longè aliter, & quod hominem attinet, verius vt plurimùm, enarrarit. Lobum verò quintum pulmonis, nam de azygo prius abundè egimus, qui cum Galeno homini tribueret, cùm & ocularis inſpectio & Sylvius adeò ipſe hominem eo deſtituant? ſimiam contrà & id genus cætera animalia longum ſortita pectus eo donent? vnde Galenum bruta animantia ſecuiſſe, vt quæ hunc lobum obtineant: homines non ſecuiſſe, vt qui eo careant, quid eſt cur diutius tergiuerſemur? Verùm præclarè Sylvius ſe hanc diſſenſionem compoſuiſſe autumat, ſi iſtum lobi defectum, ſuæ illi metamorphoſi, & noſtræ ætatis corporum imbecillitati, acceptum retulerit. Dignam me hercle iſta calumniarum farragine & iſtis conuitiorum plauſtris rationem, quæ quantum valeat quantumque probet, quàmque omnino nulla ſit, iam antè audiuimus. Quantum verò Mondini teſtimonio (vt omittam Maſſam, quem ex Galeno pleraque tranſcripſiſſe iampridem conſtat) ſcriptoris certè infimi, &, vt ſua tulit ætas, impuriſsimi apud doctos probauerit, ſi me ſolicitaret, pluribus dicerem verbis quæ nunc paucis percurrit oratio mea. Quòd præterea Sylvius illis ſuis Depulſionibus dignum cui reſpondeatur agat non eſt, niſi quòd meningem cerebri duram duplicem eſſe ob id maximè contendit, quòd & authoritate & ratione ſe firmatum exiſtimet. Galenum enim duplaturæ iſtius eſſe authorem libro adminiſtrationum nono: deinde naturam duplatis membranis venas inſerere ſemper conſueuiſſe, potiſsimùm cùm eas alioquin non ſine periculo rumpi vereretur, exemplo meſenterij, epiploi, chorij, &c. Sed oblitus eſt Sylvius, ſe iudice, libros adminiſtrationum iam eſſe canum & ſimiarum proprios, quanquam nec in his meningem illam vnquam reperierim verè geminam. Deinde naturam longè aliam habuiſſe rationem vaſorum ad meſaræon, omen-

tum, chorion, vterum delatorum, ac eorum quæ in cerebri meningem craſſam abſumuntur, illi præter alia, diligentius rem expendenti, oſtendiſſet partium & periculi diuerſitas. Huc pertinet quòd ſi hoc nomine craſſam meningem duplicem eſſe neceſſe fuit, vt idem de tenui, multiplici etiam vaſorum genere intertexta, ſentias: quod quanta cum abſurditate coniunctum ſit, non eſt meum dicere. Itaque quod is experientiæ iactat nomine, errorem rectius dixiſſet, quo deluſus, cùm tertium craſſæ cerebri membranæ ſinum nouacula ſecundum longitudinem fortè diuideret, primo intuitu, meningis epiphyſin, vtraſque cerebri partes intercedentem, geminam ex duplata membrana cõſtare opinatus eſt, aliter ſenſurus, ſi aduertiſſet id ſinus potiſsimùm occaſione fieri, & ſi infernum ſinus tertij mucronem diſſecuiſſet, membranam extra ſinus iam dicti capacitatem, ſubdiuiſioni planè reperiſſet ineptam. De odoratus organo, arteria ſoporali, & de confiсto reticulari plexu, oſſe item cuneoformi & pituitæ ductibus, quorum ſub finem ſuarum Depulſionum Syluius meminit, prius diſſeruimus. Pituitam verò, per anteriorum cerebri ventriculorum apophyſes, purgari naturaliter & ſine vllo ſymptomate, à veritate alienum eſſe anatome docet, vti & illud falſum, cauitatem ventrium anteriorum ad ethmoeidea vſque extendi, niſi id cum Syluio, de caro, catoche, apoplexia, lethargo, aut comate mortuis accipias: in quibus violentia mortis tale quidpiam ſe fortaſsis offerat.

Hæc aduerſus Syluij Depulſionum fumos breuiter dixiſſe hactenus ſufficiant. Veſtrum erit, lectores ijdemque iudices æquiſsimi, non authoritatibus ſed oculis veſtris & ſenſibus, ex ipſis hominum corporibus inſtitutis & confirmatis, fidem habere, vt tandem Veſalij viri inter bonos optimi, inter doctos eruditiſsimi cauſam optimã & laudatiſſimam, &, qua vos eſtis integritate, probandam, &, quã vos decet ſeueritate ab inuidorum calumnijs aſſerẽdam defendendamque ſtatuatis. Etenim cernitis, lectores candidi, & videor mihi vos id nunc etiam extremè deteſtari, quot conuitijs, quot calumnijs, quot vocibus odioſiſsimis, veſtris auribus caſtis intolerabilibus & planè indigniſsimis,

quanta

quanta denique, ne quid grauius addam, licentia in naturæ hiſtoriam, eiuſque miniſtros fidiſsimos debacchetur Syluius. Sed vt alijs in locis parum firmamenti, parum virium & authoritatis falſitas habet, ſic in hoc loco falſa inuidia imbecilla & ſuſpecta eſſe vobis debet. Dominetur penes ſuos, non Gallos, Germanos, Italos, ſed eos tantùm, qui authoritatibus plus fidei, quàm ipſi autopſiæ & ſuis ſenſibus tribuunt. valeat in animis imperitorum, à vobis prudentibus & doctis phyſiologías admiratoribus duntaxat repudietur. Erunt fortaſſe ex vobis, qui in me, quod aliquoties liberius quædam dixerim, lenitatem, maximè in præceptorem, requirent? Ab ijs non aliud quicquam æquè poſtulo, nec, ſi illud obtinuero, quicquam vnquam ab ipſis per me impetrari cupio, quàm vt eo ipſo momento, eo ipſo veſtigio, quo me in hac culpa eſſe volent, illas, priuſquam de me iudicium ferant, Syluij Depulſiones, quibus hac Apologia reſpondemus, non dico perlegant ſed legant. Quòd ſi tamen mitius in præceptorem (egimus autem quantum potuimus modeſtè) ſcribendum putauerint, rurſus cogitent velim, me non tam in præceptorem, quàm pro præceptoribus ſcripſiſſe, quibus perinde atque parentibus ex æquo me debere facilè agnoſco. Veſtrum itaque erit, iudices, Veſalij innocentiam ex ipſa humanorum cadauerum non brutalium ſectione, oculis ac ſenſibus veſtris, cognoſcere. Quod petimus æquum eſt, atque id à vobis impetrari æquiſsimum. Sic enim & veritati, & phyſiologiæ per iſtas Depulſiones iam periclitanti, & innocentiæ huius, ſimul ſuccurretur. Ita inuidiæ etiam vberiorem adipiſcemini cognitionem, & quantum apud miſeros mortales poſsit diſcetis, quam Syluium ita occæcaſſe nemo eſt qui non videat, vt ſacram etiam Cæſaream Maieſtatem, iſtis fumis vaniſsimis & leuiſsimis in Veſalij ſuæ aulæ medici præſtantiſsimi odium concitari poſſe, admodum pueriliter ſperarit. Sed deſino. Vobis autem, lectores beneuoli, iudices æquiſsimi, Veſalium commendo, virum integerrimum, innocentiſsimum, & de ſtudijs Anatomes præclariſsimè meritum. Hunc defendite, conſeruate, & veſtro fauore, vti æquum eſt, ab his inuidorum obtrecta-

tionibus vindicate. vt omnes intelligant huius commentaria Anatomica planè doctiſsima, excellentium hominum virtutis exemplo, imitatione, non inuidia eſſe digna.

FINIS.

VAESANI

Digitized by Google

VAESANI CVIVSDAM CALVMNIARVM IN HIPPOCRATIS GALE-nique rem Anatomicam DEPVLSIO,

Per Iacobum Syluium, medicæ rei apud Parrhiſios interpretem Regium.

Digitized by Google

HIPPOCRATIS GALEníque manibus Iacobus Syluius hoc erigebat trophæum.

O vos Elyſiæ dei coronæ
Summi, abſiſtite mentibus moueri,
Quòd vos polluit ore abominando
Væſanus nimium calumniator.
En veſtro addite transfugam triumpho
Vinctum. hoc en pietas dicat trophæum
Vobis noſtra, hilari manu βραβεῖον,
Iſtud ſumite; ſedibus beatis
Iam iam ludite, perfruaminique
Phœbi laus, hominum ſalus perennis.

AD MEDICOS παραίνεσις.

Phœbææ proceres domus ſacrati
Vos Aſclepiadæ pij nepotes
Frontem exporgite, gaudióque pleni
Summo plaudite, gratulaminique
Phœbææ ducibus ſcholæ uerendis,
Et diuo Hippocrati, *&* pio Galeno,
Omnino in ſua iura reſtitutis.
Hos hymnis celebrate, floribúſque
Lectis ſpargite, cœtui deorum
Summa reddite gloria beatos.
Hos ne quis uiolet, dehinc cauete,
Phœbi aut numina dira ſentietis.

CALVMNIAE

CANDIDO ET PIO LECTORI.

DIVINVM Hippocratem, ac eius vbique admirandum interpretem Galenum, maxima poſt Apollinē ac Aeſculapium medicinæ numina, cùm mihi perſuaſiſſem vndequaque abſolutiſſimos eſſe, nihilq; vnquam nec in phyſiologia, nec in cæteris medicinæ partibus ſcripſiſſe, quod non eſſet veriſſimum, audijſſem verò vaniſsimas quaſdam in ipſorum phyſiologiam calumnias à væſano quodam ac arrogantiſsimo ſimul & rerum omnium ignorantiſsimo transfuga, iniquiſsimè iactari, omnem moui lapidem, vt pium auditorem decebat, quò eos omni ignorantiæ non modò nota, ſed etiā ſuſpicione liberarem. Id quod mihi fœliciter cōſecutus videor, tum his calumniarum propulſationibus, tum annotationibus in libros de vſu partium: vt iam planè intellecturus ſit auditor pius, calumniatorem hunc malè ab Hippocratis magiſtri iureiurando deſciuiſſe, qua parte ſuis præceptoribus, eorumque liberis ἀντιπελαργεῖν ſummamq; gratitudinem pollicetur: ac perperam modis omnibus captaſſe reprehendendi occaſionem, vt aliquis tandem haberetur, ſi cùm tantis præceptoribus in re Anatomica manum conſereret, & de principatu cum eis contenderet: cùm multò æquius eos excuſaſſet, ſi erat in quo lapſi viderētur, aut ea omiſiſſe, vel ſcripſiſſe pauca, quę in huius ætatis corporibus vel inſunt, vel deſiderantur. Sic enim neque impietatis titulum ſemper dijs hominibusq; odioſiſsimū ambiſſet, neque ignominiam ſummam, ne grauius quid addam, referret, ſed de medicis bene meritus, gratiam & gloriam expectaret, quantam à vobis expectamus pij lectores, quæ nobis ſolatio eſſe aliquando poſsit contra conuitiorum plauſtra, quæ hic maledicentiſsimus calumniator, bonis tū rationibus tum teſtibus conuictus, ſola ad ſui defenſionem in nos apparat. Verùm nō curo magis, quàm ſi fœmina, ſiue quis infans me ſtipula peteret, quia hominis inertis verba volant irrita. Propterea conſtitui omnino, nihil vnquam

illi

illi quicquam reſpondere . Sed vos iudices inſtituo ex natu ræ hiſtoria, & Hippocratis Galenique libris, cum ea vbiq; conſentientibus. Cauſæ tamen præceptorum veſtrorum omnino æquiſsimæ, animis linguisque, quantum iudicibus integris licet, fauete. In quos pietate ſumma adductus; & calumniarum iniquitate offenſus, ſi pauca quædam in horum ineptum accuſatorem acerbiora ſcripſi, pietati totum id tribuite, non inſolitæ maledicendi cuidam libidini. Porrò calumnias hoc libro amolior, non vt in mentem, calamumque venerunt, ſed pro ordine eiſagoges anatomicæ à nobis conſcriptę: alias autē noſtris in libros vſus partium annotationibus, pro ipſorum librorum ordine depuli, ſed huius calumniatoris mentione ſacrum illum ſermonem nō pollui. Vtrobique autem calumniatoris errata quędam inſigniora & calumniæ magis affinia obiter perſtrinxi: Nam omnia vel appellare tātùm, operis fuerit infiniti, & ad lectoris pij inſtitutionem parū pertinētis. Hæc cū iam abſoluiſſem: ecce epitomen anatomicam Fuchſius edidit, de vaſta & vana calumniatoris farragine excerptam, eiusq; calumnias retinentem: quarum depulſiones ex hoc libello manifeſtè agnoſcet, ac tandē intelliget Galenum poſt Hippocratem vnicum eſſe rei anatomicæ ac reliquarum medicinę partium parentem. Id quod multò certius cognoſcet, ſi reliquas epitomes ſuę partes (nam oſſa tantùm & muſculos attingit) ex ipſa naturæ hiſtoria decerpat, non de calumniatoris colluuie errorum pleniſsima, & ſenſibus ſuis teſtribus & iudicibus, quo ſcribimus modo, credat. In quod ſtudium ſi incumbat nullius verbis addictus, inſolentem certò ſcio ignorantemque calumniatorem ſtatim clamabit, & conuicijs mēdacibus præceptores ſuos impiè lacerantem; & veritati ac naturæ paſsim obſtrepentem diris deuouebit.

CALVMNIAE

CALVMNIAE PRIMAE
PROPVLSATIO.

GALENI oſteotome tota hominis oſſibus adamuſsim conuenit, de hisque ſolis eſt perſcripta, vt hominis ſceleton quemuis cum ea conferenti patet clariſsimè. Quáquam poſsit etiam oſſibus animalium homini ſimilium, cuiuſmodi eſt maximè ſimia, parte ſui plurima competere. Non eſt tamen de hominis, & ſimiæ oſsibus ſic ſcripta communiter, vt parte vna illius, altera huius oſſa magis repræſentet. Id quod quàm abſurdum eſſet ac ridiculum, nō minus, quàm ſi humano capiti ſimiæ ceruicem ſubiungeret aliquis, nemo nō planè intelligit, propterea quòd ſimia etſi oſsium numero, magnitudine, figura, ſitu, nobiſcum valde conſentiat, eſt tamen vbi in horum propè ſingulis plurimùm diſſentiat, vt hominis ſceleton ſceleto ſimiæ cōmparantibus luce meridiana clarius apparet. Nos quoque harum in oſsibus hominis & ſimiæ differentiarum aliquot noſtris in Galeni oſteotomen commentarijs apertè explicauimus. Falsò igitur calumniator opinatur Galeni oſteologiam de oſsibus hominis ſimul & ſimiæ communiter ſcriptam, adductus his Galeni verbis: Qui noſtra hæc commentaria eſt intellecturus, verſatus ſit oportet diligenter in noſtra oſteotome, Cōmē. 3. & qualia ſint oſſa ſingula, contemplatus in ſceleto hominis: περὶ ἄρ- ſin minus, ſaltem ſimiæ. Cùm Galenus hoc ſermone velit θρων. oſſa hominis ſuæ oſteotomę ad orationis perſpicuitatem & fidem omnino adhibenda, quæ ſi ad manum nobis nō adſint, ſaltem ſimiæ oſſa humanis multum ſimilia eſſe ſubſtituenda.

Digitized by Google

CALVMNIAE SECVNDAE AMOLITIO.

IN oſſe ſphenoide, inter apophyſes clinoeides parũ cauo, foramina ſunt permulta, tanquã corona quadam conſiſtẽtia, ſed parua: niſi quòd in horum medio ſæpe vnũ eſt magnũ, per quæ cerebri pituita in ſinus duos inſignes ſubiectos (de quib. poſtea) excernitur, & ab his per meatus alios ſenſui partim occultos, partim manifeſtos in palatũ & nares. Hęc tamẽ foramina à Galeno rectè ſcripta à nobis in cranijs oĩbus ſemper obſeruata, ſpectari & eſſe pernegat calumniator, nulla neque ratione neque experientia certa firmatus, falſoque addit ſphenoeides hac parte eſſe craſsiſsimum, cùm ſit planè tenuiſsimũ, & ſtylo quouis mox penetrabile, etiã interdum ad ſphenoeidis cum oſſe occipitis imo commiſſuras. Quo tamen commiſſuræ loco ſæpius eſt craſsiſsimũ vſque ad partem ſinuum poſticam. Quæ res calumniatori fortaſſe impoſuit, vt ſphenoeides ſupra ſinus craſsiſsimum nec foraminulẽtum ſcriberet. Cumque horum ſinuum vſum ad pituitã è cerebro defluentem continendam ignoret, & dicta nuper foramina non recipiat, canales quatuor in ſphenoeide inter dictas apophyſes ſomniat, per quos pituitam ex choana in cranij baſin præcipitat ac effundit, magno partium capitis & collo ſubiectarum incommodo. Ex his autem fictis canalibus duo tantùm poſteriores in noſtris cranijs apparent carotidem præcipuã intra cranium ad plexum retiformem hoc loco conſtituendum emittentes non autem pituitæ ex glandula effundendæ deſtinati. Hanc verò controuerſiam de via pituitam cerebri in palatum & nares educente facilius & certius dirimes, ſi glandulam vbique ima parte ſphenoeidi circũhærere ſpectâris, nullo meatu relicto fictis canalibus: ſi præterea in choanam adhuc calentem, aut fotu aliquo ſicco recalfactam infles, aut aliquem præcipuè coloratum humorem: ſed tenuem & calentem infundas. Execto enim palato deprehendes à ſinibus prędictas materias excerni per manifeſtos & latentes ſenſuum meatus, qui tamen etiam apertè in coryza, & cum aliàs ſæpe & multum

multum emungimus, & interdum inſpirando, & cùm in magna ſiti lentè bibimus, deprehenduntur ſonitu quodam reciprocantium per ea materiarũ. Præterea ſi os ſphenoeides quà ſunt dicta nuper foramina, cultello vel pugione vel terebello perfores, (id enim ob eius partis tenuitatem eſt promptiſsimum) deinde immiſſo tubulo humorem inflabis, aut ſine humore aërem, ſuſurros inibi multos tranſmeantis ex ſinibus materiæ in nares & palatum audies, niſi pituita multa craſſa lenta eos ſinus impleat. Quòd ſi ſcalpro forti aut ſerra palatum eximes, deinde infles vt prius, materias cum multo ſtrepitu efferri audies ac ſpectabis. Quin ſi latius parte ſuperna hos ſinus aperueris oſſe illo tenui latè execto, vt tota appareat ſubiecta cauitas ſinuum, foramina ſpectabis quàm plurima in fundo ſinuum foramina palati reſpiciente: imò & aliquoties tam magnum inueni, vt calamum ſcriptorium facilè reciperet, quà verò ſpectant ſinus ipſi nares alia ſunt numeroſa, & ampliora. Adde quòd ſæpe & ſinus & nares & palatum atque fauces totas plenas pituita craſſa & corrupta reperi. Ne igitur poſthac bone vir præceptoribus tuis veracibus, & naturæ obſtrepe, cuius fabricam ignoras, & operum eius vſum negas iniquiſsimè: ſed quod ſuadeo, explora in recenti cadauere: & tuam ipſe arrogantiam, impietatem, ignorantiam, ingratitudinem mox agnoſces, neque dices poſthac oſſa illa ſphenoeidea præ carie foraminulenta apparere, non talia eſſe natura. Sic enim reſpondiſti Sanctangelo noſtro medico perdocto offerenti ſceletum pueri recentiſsimum, quem nos per eũdem Cornelio Baerſdorpio Cæſareæ maieſtatis archiatro longè præſtantiſsimo miſſum curaueramus cum oſsibus alijs, tuas calumnias confutantibus. Sed nihil horum præ tui dogmatis rabie aſpectu dignatus es, ne palinodiam canere coram viris bonis & doctis cogereris, ſi hæc ſenſibus tuis fidem veritatis Galenicæ & calumniarum tuarum feciſſent. Quòd ſi laborem experiundi quæ ſcripſi refugias, cranium recens ſupernè, quà ſunt foramina in ſphenoeide, pugiunculo pertunde, & aquam per calamum vel infundibulum paruum infunde: ſpectabis eam mox nunc in nares, nunc in palati foramina pro ſitu vario cranij diffluere. Id craniũ

penitius

penitius ſi aperias, & latius vt totum ſinuum fundum appareat, foramina quæ antè dixi ſpectabis. Noli igitur eſſe incredulus, nec aures & oculos veritati agnoſcendæ tam pertinaciter occlude.

CALVMNIAE TERTIAE PROPVLSIO.

PRAECIPVAM carotidem à Galeno in cerebrum emitti per foramen pari tertio & quarto commune, plenum ignorantiæ & impietatis eſt commentum. Nam Galenus libro de anatome neruorum (ex quo hanc contexuiſti calumniam) non præcipuam carotida ſed reliquum carotidos, per id foramen in cerebrum feri ſcribit. Hunc verò locum eſſe luxatum etiam in exemplari Græco, tum veteri, tum nuper inuento, facilè conuincunt ſequentia, & pertinere ad ſextam coniugationem, non ad tertiam: nam in fine huius luxatæ particulæ addit: Quo itaque modo nerui iſti per collum ad thoracem & ad partes diaphragmati ſubditas feruntur, quæq; ipſorum ſit diſtributio, procedéte oratione oſtendemus. Totum autē quod ſequitur, Commune autem, vſque, Nunc autem, luxatum ex ſexta coniugatione eſt. Quanquam quod in medio eſt, ad tertiam vti ad ſextam vel aliam quamuis coniugationem ex æquo pertinere poſsit, vt ſit legendum folio ſequenti: Sexta autem coniugatio neruorum ex cerebro naſcentium excidit per foramen in fine inferno futuræ lambdoidis. Commune autem eſt cranij foramen, per quod hæc deorſum fertur, & arteriæ carotidis reliquum ad cerebrum ſubit, &c. Nam profundior & poſterior & principalior carotis in ramos
Libr. 16. vſu par. duos diuiditur Galeno, maximos quidem, ſed inæquales; quorum minor retro magis ad baſin cerebelli aſcendit, magno ac prælongo foramine excepta, quod eſt in fine inferno ſuturæ lambdoeidis.i.foramine cõiugationis ſextæ: reliquus verò anterioribus partibus ſurſum fertur in caput, per foramen quod eſt in oſſe lapidoſo. Hæc Galenus: quo loco reliquus ramus ſeu reliqua carotis præcipua eſt, quę plexum retiformem efficit, & per foramen obliquum in oſſe

lapidoſo

lapidoſo aſcendit, non per commune pari tertio & quarto. In anatome verò neruorum reliqua carotis, minor ſcilicet portio poſterioris, per foramen ſextæ aſcendit cũ præcipua portione venæ iugularis internæ. Sequi igitur hunc Galeni locum libro 16. vſus part. debuiſſet potius calumniator, vbi ex profeſſo arteriæ diſtributionẽ declarauit, vti & libro de anatome arteriarum, (vbi tamen foraminis non meminit) non locum hunc corruptum, vbi tantùm obiter arteriæ carotidis meminit, niſi anſam in Galenum calumniandi captaſſet ſibi vbique iucundiſsimam. Huc pertinet, quòd etiam ea quæ pòſt à Galeno in corrupta hac particula ſcribuntur de neruorum per collum in thoracem partéſque diaphragmati ſubditas diſtributione, calumniatorem debuerunt admonere, agi hoc loco de ſextæ coniugationis proprio foramine non tertiæ & quartæ communi, multò certè minori, quàm vel ſolius arteriæ carotidis præcipuæ dimidio ſufficiat, cùm ſit hæc veluti camelus quidam ad acum. Nam à ſola coniugatione ſexta nerui in dictas partes diſtribuuntur, non à tertia. Reliquus igitur carotidis ramus nunc minorem nunc maiorem refert, pro varia diuiſione, non ſemper maiorem, quæ præcipua eſt carotis plexum retiformem efficiens. Ne igitur toties calumniator inculcet Galenum præcipuam cariotida per foramen pari tertio & quarto commune in cerebrum perperam educere, cùm id nunquam Galenus vel ſomniauerit, vt apertiſsimè demonſtrauimus. More autem ſuo calumniator celeritate iudicandi, de re planè incognita falſam pronunciat ſententiam, & medicorum vulgus eadem ignorantia infatuatum in errorem abſurdiſsimum præcipitat, maximo reipublicæ detrimento.

QVARTAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

MOTVS capitis geminos, rectum annueudo, & renuendo, ſeu flectendo, & extendendo, ac obliquum in latera circumagendo ſcribit Galen. cap. 7. de oſsibus, & initio lib. 12. vſus partium: & rectum fieri diarthroſi primi ſpondyli

dyli cum ſecundo: obliquum autem diarthroſi κoρωνῶν oc cipitis duorum cum duabus primi ſpondyli ſupernis cauitatibus. Id quod pernegat calumniator ſua ignorantia craſſiſsima & iudicandi celeritate peruerſus. Verbum enim περιάγειν locis iam commemoratis & alibi paſsim Galenus accipit pro caput ab antico in dextrum vel ſiniſtrum circũducere, ſine vlla capitis in humeros inclinatione: quam ſolam malè calumniator per circumactionem Galeni interpretatur, cum ea capitis inclinatio in humeros, colli ſit totius ſpondylorum, non capitis articulationum cum primo ſpondylo. Circumactionem hanc Galeno rectè perficit alteruter paruorum in ſumma ceruice muſculorum obliquorum & maſtoeideon: quamuis eam quoque auctiorem faciat motus ſecundæ diarthroſeos præcipuè, ſed etiam aliarum colli ſubiectarum. Quibus adminiculis tandem fit, vt facies dorſo propè immineat, & velut quidam Ianus etiam poſtica ſpectare poſsis. Neque enim ſic accipiendum, rectos capitis motus ſecunda, obliquos pirma diarthroſi fieri, vt non etiam iuuentur illi quidem prima, hi verò ſecunda. Id quod ratione & experientia (quæ ſola duo ſunt fidei faciendæ inſtrumenta) ſic demonſtro. Id nanque in homine viuo, præſertim multum gracili, vt ſpondylos primos obſeruare poſsis, ita explorabis, & in recens mortuo & adhuc calente, aut recalfacto. Præterea ſi omnes muſculos exemeris præter octo paruos, & duos maſtoeideis: quos ſi ambos contraxeris, cernes primum ſpondylum à ſecundo plurimùm poſtica parte ſurſum abſcedere, minimũ ab occipite. Si paruos quatuor muſculos rectos cõtraxeris, occiput in ſecundum ſpondylum reclinari plurimùm ſpectabis, primi ſpondyli ſpina id prohibente, minimùm in primum. Idem ablatis omnibus muſculis, ſed ligamentis adhuc recentibus & mollibus ſeruatis, experieris. Cur enim natura muſculos rectos, licet breuiſsimos, à primi ſpondyli parte poſtica in occiput inſeruiſſet, niſi hæc diarthroſis prima motum capitis rectum adiutura fuiſſet? faciendum tamen præcipuè à rectis duobus alijs muſculis maioribus à ſpina ſecundi ſpondyli in occiput tendentibus. Cur item obliquos muſculos affixiſſet duos apophyſi

phyſi tranſuerſæ primi ſpondyli, & ſpinæ ſecundi, non ſolùm duos etiam obliquos eidem apophyſi & occipiti, niſi motum capitis obliquum ſeu circumactionem à prima diarthroſi præcipuè fieri voluiſſet, à ſecũda tamen iuuari? Nam reliquorum colli ſpondylorum diarthroſis numeroſior in corporibus quidẽ ipſorum pyxidatim facta, in apophyſibus autem obliquis obliquè multum, & breuibus ligamentis connexa, talem circũactionem ferre notabilem non poteſt, paruam tamen flexionem & extenſionem, & in humeros inclinationem ſuſtinere poteſt. Porrò eam capitis flexionem & extenſionem ipſe ſecundi ſpondyli dens non paulò ſecuriorem facit, dum, ne motus vterque immodicus fiat, prohibet. Sed idem quoque dens per primi ſpondyli cauum in occiput inter ſua corona firmiter alligatus circumactionem multùm adiuuat, & tutiſsimam facit, (quòd ea diarthroſis prima, omnium ſit principaliſsima, & ob id omnium ſecuriſsima & munitiſsima eſſe debuit) dum circa ipſum caput cum primo ſpondylo non aliter quàm oſtiorum verticilla circa ipſos vectes circumagatur. Hac de re non pauca docuimus annotatione prima in libro duodecimo vſus partium.

QVINTAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

SVTVRAM in gena ſuperna ab oſſe frontis ſecundum naſum per dentium caninorum alueolos in palatum tendentem aliquoties abſolutiſsimam conſpexi, & ſpectandam auditoribus circitèr quadringentis exhibui, frequentius dimidiatam, & parte nunc ſuperna nunc inferna conſpicuam, nunc vtraque, ſed in medio vaneſcentem. Cranium quoque domi habeo, in quo eſt affabrè expreſſa: vt coniectura mihi ſit maxima, in regionibus quibuſdam crania eſſe eiuſmodi quàm plurima, & fortaſſe omnia, ſi quis diligentius inquiſiuerit. Nam cùm talis ſutura Galeno in cranijs omnibus (quæ plurima ſpectaſſe ne ipſe quidem calumniator negabit) ſemper apparuerit, & nobis aliquoties, cur de hac ſutura falſum ſcripſiſſe Galenus cuipiam videri debeat?

debeat? cùm cæteras non modò genæ huius ſupernæ ſuturas, ſed etiam capitis tam bellè repræſentarit, vt nihil deſiderari queat? Ne igitur eam poſthac ex ſimia aut cane ſubſtituat calumniator, ſed in humana gena diſquirat, in qua ſi minus expreſſa apparebit, aut non tota, Galenum ne accuſet, ſed naturæ impedimenta quædam noſtris corporibus in victu & venere intempeſtiua ac immodica vitijs ſuccedẽtia: de quibus nos abunde egimus epiſtola in eiſagogen anatomicam, & de naturæ in noſtris corporibus mutatione magna, & degeneratione ab his quæ olim fuerunt.

SEXTAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

GENAM infernam Hippocratis & Galeni teſtimonio biſoſſem eſſe non recipit calumniator, ne corpus hac quoque parte, vt propè cæteris, ſit geminum. Saltem verò ſymphyſeos eminentia vtrinque inſignis fidem illi aliquam faciat commiſſuræ: qualis profectò eminentia in pleriſque ſterni & cunctis oſsis ſacri, & tribus innominati, ſeu totorum ilium oſsibus commiſſuram tegit, ac firmat, & in pleriſque craniorum ſuturis & in fractis oſsibus porus appellata. Quo quidem poro vi deraſo oſſa apparent ſecreta, non aliter quàm glutine quouis ablato partes glutinatæ dehiſcunt. Deraſa quoque dictorum oſsium eminentia, fragile os hac parte euadit, id quod etiam genæ ipſi eſt commune. Ad hæc medulloſa genæ cauitas ferè in medio, & ſæpe multò ante medium ſiſtitur. Abuſa tamen genæ eminentia vtraque natura eſt ad muſculorum quorũdam vel exortum vel inſertionem: ne putes ipſam prima ratione ob muſculos iſtos his eminentijs grauaſſe partem hanc, leuitate plurima egentem, vt mouentibus muſculis obediat promptius hæc gena, dũ edimus, loquimur, vel aliter eius motu multo, crebro, celeri vtimur. Poterat enim natura parte aſperata ſedem tutam muſculis præbere, vt maſſeterum, & aliorum quàm plurimorum ortus & inſertiones oſtẽdunt. Sed quomodo ligna vt firmius hæreant, latiuſcula parte glutinantur, ſic genæ pars paulò amplior apparet vbi glutinatur,

tur, vt pluribus apprehenſionibus cohæreat: quomodo omnes tendonum in oſſa vel ſubſtantiam aliam inſertiones, niſi interdum longius ferantur, quàm latius, ſicque firmitatem latitudini ex loci anguſtia negatam, longitudine redimant ac penſent. Ad hæc, vt ligna glutinata non ſemper quo loco ſunt glutinata rumpuntur, ſed ſæpe ligni teneriotis partem abrumpunt ſecum, & detrahunt; ſic gena hęc vtrinque delimata in medio ceu recta linea dum frangitur, abrumpit tamen vtrinque partium aliquid. Adde quòd lima rotunda genæ interior eminentia ſi æqualiter abradatur, oſtendit mox in medio velut lineæ cuiuſdam rectæ rudiméntum, quod natiuam quandam diuiſionem declaret. Prætereà ſi hanc genam recens ex terra poſt iuſtam putredinem extraxeris, & diducendo fregeris, ferè in medio diſſoluta dehiſcet & frangetur. Cur verò id illi minus eueniat, quàm ſterni oſsibus etiam coctione ſoluendis, non ſola putredine? Ea nanque in ſceletis terra effoſsis vix vnquam iuncta apparent. Quia verò genam ad mandendum etiam recens nati firmam requirunt, tanquam vnica eſſet, firmius ſtatim à natura eſt glutinata: ſterni verò oſſa diu poſt natiuitatem reſpiratione inglutinata ſeruire oportuit, ob id tardius & minus pertinaciter coaluerũt. Ad hæc cum in brutis quàm plurimis biſos omnino recipitur, cur in homine, in quo eſt eadem diuiſionis ratio, oſſe gemino conſtare non recipietur?

SEPTIMAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

STERNI oſſa ſeptem in omnibus ſceletis obſeruaſſe Galenum vel ex hoc apparet, quòd non adſcripſerit interdum plura eius oſſa eſſe, interdũ pauciora: vt in metaphreni ſpondylis, & coſtis hos ſpondylos tangentibus, & in eos inſertis numerum variare declarauit, libro de oſsibus. Hæc porrò ſeptem oſſa, ſeptem coſtis infernè terminari docet libro 8. adminiſtrationum, his verbis: Sternon os ſolidum apparet διὰ τὴν τῆς ἁρμονίας ἀκρίβειαν, membranis autem deraſis, ſeptem oſſa palàm apparent, quot cum eo co-

ſtæ articulantur: quarum anterior finis nonnihil attenuatus inferno fini ſingulorum ſterni oſsium inſeritur, in medium ſcilicet harmoniæ receptus. Septem igitur ſuperiores thoracis coſtæ ita articulantur: octaua autem ad radicem xiphoeidis. Quæ Galeni verba palàm oſtendunt malè à calumniatore fieri maximum os ſterni ſupernum, & extendi vſque ad coſtam ſecundam: cùm prima coſta ad os ſupernum finiat, vt in ſimia & cane, ſic in homine: vt etiam docet eminentia eo loco, index commiſſuræ manifeſtiſsima, vt paulò antè, & libro de oſsibus fuſius probauimus. Quam oſsis primi diuiſionem ſi recipiat calumniator, oſſa ſeptem recipiat. Nam pictis à ſe ſternis omnibus ſex diſtinguit, ſed primum perperam facit maximum. Quanquam re uera hoc tempore in noſtris corporibus rariſsima ſint oſſa ſterni ſeptem: ſed ſæpius ſex, ac quinque, non rarò quatuor & tria: ſed tunc latiora inferna ſunt, vt coſtis ſeptem excipiendis ſufficiant: interdum etiam octo. Quæ numeri oſsium in ſterno facta diminutio, quia thoracem facit multò quàm ſibi conueniat breuiorem, etiam pulmoni dextro & venæ azygo aliquam mutationis neceſsitatem attulit, vt pòſt ſuo loco audies. Nicolaus quoque Maſſa Venetus in re anatomica exercitatiſsimus medicus ſeptem ſterni oſſa ter numerat, nec addit interdum pauciora. Quod hominis teſtimonium fidem facit Venetis etiam hodie (nam ab hinc annis 16. ſcripſit) ſeptem omnino eſſe ſterni oſſa: quot etiam Mondinus (nullius enim ſcriptoris quantumuis obſcuri teſtimonium hac in re contemnendum exiſtimo) ſe ſemper obſeruaſſe ſcribit, cùm minoris alicuius numeri non meminerit. Id quod etiam fuiſſe prioribus alijs perſpectum recipimus, quanquam in noſtris corporibus hodie ſterni oſsium numerus ſit rarò ſeptem, frequentius pauciorum.

OCTAVAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

Brachivm vt cruſ antè & foras parum torqueri, Hippocrates, Galenus, figuræ vtilitas, loquuntur. Anterior nanque oſsis totius gibboſitas & exterior periculis foris occurſantibus tantò tutius obſiſtit, quantò plus ea gibboſitas ad figuram rotundam accedit. Simitas verò duplex, interna & poſtica, duplici gibboſitati oppoſita, tum muſculis, vaſis, neruis & maximis & principaliſsimis ſeruit capiendis: tum etiam quæ in brachio eſt, thoracis gibboſitati: quæ in crure, ſeſsioni: quæ in vtroque, apprehenſioni: quam oſtendunt equitantes & ephippiarij, dum ea conſuunt quæ inter crura firmiter continent. Cùm autem in crure ambulationis firmæ inſtrumento, etiam apprehenſioni commodet oſsis in eo poſtica & interna ſimitas, multò magis oſtenditur in brachio apprehenſionis ſolius inſtrumento ea commoditas. Quę quidem apprehenſio quãtum à curuis & ſimis partibus noſtris iuuetur, omnia cubiti, carpi, metacarpij, digitorum oſſa abundè docent, ſima intus omnia, quà ſcilicet apprehenſura erant, foris autem conuexa: & in his lateribus quæ iniurijs patebant magis, vt eſſent tutiora ſcilicet atque capaciora, figuræ rotundæ commoda ſunt mutuata. Quòd ſi oſſa brachij quædam & cruris rectiora apparebunt, fortaſſe id vitium figuræ, ab arctioribus & durioribus faſcijs (quibus tum obſtetrices tum nutrices brachia & crura adhuc cerea præſertim angere ſolent) profectum aliquandiu perdurat, vti natura per vim & artem in macrocephalis aliquandiu victa apud Hippocratem libro de aquis: quam ſi etiam furca expellas, & in diuerſum torqueas, tamen vſque recurret. Atque etiam quomodo macrocephalos ad formam capitis naturalem paulatim redijſſe ſcripſit Hippocrates, ſic non dubito quin id figuræ vitium in rectioribus his oſsibus violentia productum ſit aliquando ad figuram natiuam rediturum, niſi naturæ humanæ imbecillitas iam omnibus comperta ſit repugnatura.

NONAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

Ossa digitorum ſolida, & cauitatis ac medullæ ſenſui manifeſtè expertia, Galenum ſemper vidiſſe non dubito, ac eo priores medico, ob robur ſcilicet harum partium; quæ nunc ſunt caua parum, & nonnihil medullata ob infirmitatem. Animalibus nanque imbecillis quadrupedibus, auibus, piſcibus, oſſa quoque ſunt imbecilla, multùm laxa, caua, medulloſa: fortibus verò & ferocibus, vt leoni, cani, lupo, pardalis, aquilæ, feroci accipitri, dura ſunt & denſa, & parum medullæ ſortita: quin & leo animalium omnium ferociſsimus & fortiſsimus, oſsium omnium medulla carere creditur. Hæc Galenus, comprobans quæ Ariſtoteles docuit, leoni ſcilicet oſſa tam eſſe dura & denſa, vt attritu ignem ſilicis modo reddant. Sunt enim omnium animalium maximè ſolida: ob id nullam omnino habere medullam creduntur: quia eam partim nullam, partim admodum exiguam ſunt ſortita. Sic igitur oſſa digitorum noſtrorum maioribus ſolida fuiſſe, & nihil omnino vel parum admodum cauitatis & medullæ habuiſſe eſt intelligendum, vt nos libro de oſsibus, & annotatione ſecunda in libro primo vſus partium docuimus.

Gal. li. 1. v. p.

Hiſt. lib. 3. cap. 7.

Ibid. 20.

DECIMAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

Os ſacrum interdum latius Galeno extenditur, vt etiã coccygem comprehendat, vt cùm lib. 12. de vſu partium ſcribit os ſacrum oſsibus conſtare quatuor, tribus ſcilicet proprijs, & coccyge, quem os vnum appellat libro de oſſibus. Aliquando contrahitur ad eam ipſius partem, quæ re vera ſacra eſt, id eſt magna & lata, quantum ſcilicet huius cum oſſe ilium committatur. Nec te conturbet quòd coccygem tribus oſsibus, interdum quatuor coſtantem, vnius oſsis nomine capiat, cùm idem oſsi ſacro & oſsi innominato ſeu ilium vſuueniat: quia hæc multùm adeò ſunt

vnita,

vnita, vt os vnum appareant. Quin & γένυν ἄνω καὶ κάτω appellat, cùm vtraque multis oſsibus conſtet, quibus omnibus nomen hoc ſingulare comprehendendis impoſitum eſt, vti στέρνον καὶ κρανίον ſuis partibus multis nomen vnum eſt inditum. Nos ea de re fuſius noſtris commentarijs in librum Galeni de oſsibus: quem locum qui legerit, malignam hanc calumniam eſſe omnino iurabit, nec audiendam iudicabit.

VNDECIMAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

APOPHYSES oſsis ſacri poſticas ſpinis reſpondentes, & lumborum tam poſticas quàm tranſuerſas, ſurſum magis vergere, quod Galenus ſcribit, in noſtris ſceletis eſt propè perpetuum. Non æquè tamen frequenter ſpina metaphreni decima eſt ἀῤῥεπὴς, & recta, ſeu nec ſurſum nec deorſum magis vergens, ſed interdum vndecima, ſæpius duodecima, vt libro de oſsibus abundè docuimus. Hæc cùm in oſsibus ita habeant omnino ad quem modum Galenus breuiſsimè & clariſsimè ſcripſit, neque in his, vt nec in alijs, quicquam à Galeno peccatum ſit, quorſum magna libri farrago de oſsibus à calumniatore in molem quandam rudem ac indigeſtam & erroribus plenam congeſta eſt? An hæc artem ſuapte natura longam, breuiorem & dilucidiorem reddiderint? Immo longè obſcuriorem, non modò ob ſermonis prolixitatem, & impuritatem, ſolœciſmis & alijs innumerabilibus vitijs ſcatentem, ſed ob meras calumnias cuiuis cor habenti & pio doctoque lectori intolerabiles, ſolis bipedibus aſellis & nomine ſolo medicis admirabiles. Quibus omnibus mentem precor meliorem, vt Galeno præceptori ſuo vndequaque abſolutiſsimo tam ſint grati & beneuoli, quàm ſuos diſcipulos ſibi aliquando propitios expectant.

DVODECIMAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

GALENO quidem clanculùm, naturæ verò palàm obſtreperus eſt calumniator in oſsium ſeſamoeideon numero, & vſu. Cùm enim pauciora quàm natura produxit, enumerat, naturæ prouidentiam & artem perfectiſsimam iniquè tacet: vſum verò abſurdiſsimum, & ne idiotis quidem probabilem, dum ſuopte ingenio confingit, naturæ inertiã & ſtupiditatem affingit, non ferẽdam medicis naturæ miniſtris, ſi modò ij eſſent, quales eos eſſe oportet, hoc eſt, naturæ operum docti admiratores, & pij patrocinatores, gratiq́ue buccinatores, nec ſtatim ad noua omnia aſellorũ more aures motitarent, eaq́ue omnino probarent quæ penitus ignorant. Quorum hodie maxima turba eſt in Gallia, Italia, Germania, qui anatomicæ rei cùm rudes ſint omnino, ea tamen probant quæ à calumniatore ſcribuntur vniuerſa, pro ijsq́; tanquã aris & focis contendũt & depugnant, cùm is lectione dignum vix aliquid ſcripſerit, quod non ex Galeno cornicula hæc Aeſopica ſit furatus. quæ verò ſua ſcripſit, propè omnia ſunt falſa aut abſurda, aut omnino leuiſsima. Sed ſinamus ſimiles horum aſinorum labris ſuas lactucas: ad rem propoſitam redeamus. Seſamoeidea ſunt appellata oſsicula, quòd ſeſamæ ſemini latiuſculo & oblongo figura ſint ſimilia. Ea autem manui vt paucisſima & pedi duodecim tribuit calumniator, vt in totũ ſint octo & quadraginta: quorum tamen quædam ſunt cartilaginoſa. At reuera numerum tam exiguum in manu non inuenio, nec etiam in pede. Nam in manus quatuor digitis intus ad articulos, primos quidem bina, alios autem ſingulos ſingula ſub tendonibus incumbunt ligamentis implexa: quæ omnia ſunt ſexdecim. Præterea pollicis articulos primum quidem nullum, ſecundum autem bina, vltimum vnum intus munit. Præter hæc ſingulis iam dictis quatuor digitorum articulis ſingula foris ſæpe inſternuntur tendonibus implexa, duo autem ſecundo pollicis articulo ſub vtroque ſcilicet tendone vnum, & ea minora quidem & magis cartilaginoſa,

Libr. 1. ca. 60.

noſa, in pueris & adoleſcentibus præſertim. Nam grandioribus in oſſa magis durantur, & ſæpe cum his tendonibus cartilaginis aliquid & oſsis cui inſeruntur, vnà exciduntur, quod imprudenti imponere poſsit. Sunt igitur in manu quæ paucisſima, plura quàm 12. nempe 16. etiam externis non numeratis. In pedis autem digitis quinque articulos, primos quidem bina, reliquos autem ſingulos ſingula ſubtus firmant, vt in manu interna, & ea maiores, articulos maiora minores minora: vt ſint pedi ſeſamoeidea quę paucisſima ſubtus non duodecim tantùm, ſed nouendecim. nam ſupernè aut nulla ſunt aut rara, & ea obſcura, quomodo & primo pollicis manus articulo intus nullum, foris rarum & obſcurum adeſt. Præter hæc maximum os pternę & cyboeidis articulum ſubfirma, & aſtragali cum ſcaphoeide vtrunque in adoleſcentibus & mulieribus diu cartilaginoſum, ſed amplum, & tendonibus implexum pedem extendentibus, obliquantibus, firmantibus. Alibi autem calumniator alium tradidit horum oſsiculorum numerum. *Libr. 1. cap. 28.* nam in manu ſecundo pollicis articulo & primo quatuor digitorum gemina tribuit, vnicum verò tertio pollicis articulo, & ſecundo ac tertio quatuor digitorum, nec ſemper ſed aliquando ineſſe ſcribit. Ex quibus colligas licet ſeſamoeidea in manu vt paucisſima ab eo ſtatui tantùm decē, duo in ſecundo pollicis articulo, & duo in ſingulorū quatuor digitorum primo articulo, cùm alia non omnibus, ſed tantùm quibuſdam adeſſe dicat. Digitis autem pedum multò pauciora quàm duodecim (quot alibi vt paucisſima illis tribuerat) applicat, his verbis: In primis digitorum *Libr. 1.* pedis articulis oſsicula hęc difficulter obſeruantur, præter- *cap. 60.* quam in pollice, in cuius articulo primo inſignia ſunt duo, *Libr. 1.* quorum internum externo longè eſt grandius, in ſecundo *cap. 28.* autem grande ſatis oſsiculum. In ſecundis autem & tertijs digitorum articulis illa nunquam inueni. Hæc eſt calumniatoris negligentia & ignorantia, quam etiam capitis huius vigeſimi octaui initio confitetur, dum alios admonet vt ea inquirant in pluribus articulis quàm ipſe enarret, quod tēporis proceſſu in pluribus articulis obſeruentur quàm ſibi prima fronte occurrerint. Quibus verbis videtur ea tantùm

tùm ſemel inquiſiuiſſe, nec tamen omnia inueniſſe, quæ omnibus adſunt. Hæc de oſsium ſeſamoeideon numero, ſufficiant (quem ablatis prius tendonibus extendentibus, deinde ſectis per tranſuerſum articulocum ligamentis, in manu & pede promptius reperies.) Nunc ad eorum vſum tranſeo, quem ipſe quibuſdam diſſectionum profeſſoribus proditum ſcribit, vt articulos implerent ſtringerentque ac ſic minus luxationi obnoxios redderent: qui verus eſt oſſium ſeſamoeideon vſus, vti mox probabimus. quē ſi calumniator fuiſſet ſequutus, re vera rectius feciſſet, nec nouum alium omnino abſurdiſsimum & partium naturæ repugnantem confinxiſſet, ne ſcilicet digiti nimis laxé moueantur, & ne in angulum nimis acutum flectantur. Pollicis quoque articulo ſecundo maiora hæc oſsicula à natura data ſcribit, vt firmior eſſet, & ad flexionem in angulum acutiſsimum pertinax: minora autem ſeſamoeidea primis quatuor digitorum articulis tantò eſſe, quantò eos articulos in acutum magis flecti natura voluit. Egregium verò commētum, & tali calumniatore dignum, tanquam natura hanc flexionem immodicam, quæ huic in acutum nimis angulum dicitur, prohibere non potuerit ſupercilio oſsis caui in partem interna magis producto. Sed quid quòd pollicis manus articuli omnes in angulum obtuſum tantùm flectūtur, primus autem oſsibus ſeſamoeidibus deſtitutus, in angulum omnino obtuſiſsimum? Ad hęc digitorum articulus ſecundus & tertius ad angulum tantùm rectum flecti poſſunt, vti & primus, cui ſoli tua ſententia oſſa inſunt ſeſamoeidea flexionem immodicam prohibētia. Nónne primus pollicis & ſecundus ac tertius quatuor manus digitorum articulus in acutiſsimum angulum flecti aut debent aut ſaltē poſſunt, à nullo ſeſamoeide oſſe prohibiti, ſi horum oſsium hic eſſet vſus à natura inſtitutus? Sed quid dicet calūniator de digitis pedum quinq;, ad flexionem ineptiſsimis, ad pedis firmitatem aptiſsimis? An articulis horum quinque digitorū primis oſſa ſubſunt gemina, ne immodicè flectantur, aliis verò articulis etiam flectendis nullum prorſus eſt à natura datum? Sed magis calumniatorē redarguūt oſſa ſeſamoeidea tendonibus digitos manus extendentibus ad ſingulos articulos

Libr. 1. capi. 1. initio. Libr. 2. ca. 48.

articulos implexa. Quæ re uera calumniator non vidit, neque attigit, tametſi eorum duritiem etiam ſonoram vngues ipſi facilè explorent. Sed brutum hunc homuncionem brutorum biſulcorum teſtimonio conuincere magis placet. Cur enim illorum velut digitorum duorum articulo primo oſſa ſeſamoeidea ſubſunt quatuor, ſecundo nullum, tertiò vnicum, ſed alijs latius, cùm tamen hæc animalia iſtos articulos duos aut nuſquam flectant, aut minimum, vti nec ſecundos? Vſus igitur verus oſsium ſeſamoeideon & molæ & aliorum ſimiliter articulis à natura admotorum vnus eſt, vt ſcilicet luxationẽ in qua ſunt regione fieri prohibeát. Sic enim mola, genu articulum parte antica firmat, ne ambulantibus per decliuia, aut genu multum flectentibus luxatio in anteriora fiat. Hac etiam fine os amplum pternæ cum cyboeide, & aſtragali cum ſcaphoeide articulo ſubnexum, & tendone colligatum. Hos articulos alioqui vehementer & ſæpe laboraturos firmat, & luxari deorſum prohibet. Hac etiam ratione articulis digitorum pedis omnibus, non tantùm primis articulis, oſſa ſubſunt ſeſamoeidea ligamẽtis implexa, vt in digitorum manus internis articulis: vt pes ſtantibus, & ambulantibus etiam per loca inæqualia & aſpera, ſit firmior, & ne digiti lapidibus vel re alia quauis altiore velut euerſi dum ſtamus aut ambulamus, promptè luxẽtur. Qua ex cauſa articulus primus in biſulcis, quatuor oſſiculis infernè firmatur, quod hic pondus animalis tonica flexione ſuſtinet: ſecundus ceu perpendiculo inter primum & tertium locatus minimùm flectitur, multò minus extenditur: tertius autem aliquantò obliquior laboraturus erat modicè: ob id os ſeſamoeides vnicum habuit. Eadem ratione ſolidipedia animalia articulo pedum primo oſſa huiuſmodi habent varia, vt flexio ſit firma magis, & quæ ab extenſione immodica & violenta luxationem prohibeat. Dum nanque veterina huius generis animalia ferunt onera planè grauiſsima, & per loca feruntur inæqualia, extenſione illa vehementi tendonum internorum promptè vel ipſorum villi rumperentur, vel luxatio huius articuli fieret, niſi ab his oſsibus adamantina quædã firmitas acceſsiſſet. Quæ etiam digitorum manus articulis internis inſunt

ſunt oſſa ſeſamoeidea, eos intrò luxari prohibent dum manum vehementer extendimus, & ea ſic tenſa opus aliquod validum facimus: qualia ſunt quàmplurima ſartorum placētas complanantium, bibliopolarũ libros manu batuentium, vt ſint cõpreſsiores: & aliorũ artificum opera quotidiana. Quoniã verò digiti manus vt tenſione immodica luxari intrò periclitabãtur, niſi eo loci obſtaculũ natura collocaſſet os ſeſamoeides: ſic flexione extrema foras luxari poterant. Id quod nequando contingat, parte externa extendentibus digitos tendonibus ſimilia oſsicula, ſed minora, & minus dura ac denſa, & teneræ ætati adhuc cartilaginoſa, & cum vnguibus ſonora, in ætate iam edita oſſea innexuit natura, quòd huius loci externi periculum nec tam frequens erat, nec tam promptum: quorum extrema flexio vix angulum rectum ſuperat, cùm extrema tenſio aut nullum foris faciat angulum, aut etiam obtuſum in parte digitorum externa, quibuſdam digitos ſine vlla vi in contrarium euertentibus. Adde quòd ita ſunt ſita intus in digitorum manus articulis ſaſamoeidea oſſa, vt digitos flectentibus ſurſum in ligamẽtũ recurrant, nec amplius ſint articulo oppoſita, ne flexionẽ extremam impediãt cùm neceſſaria eſt, vt nec quę ſimię popliti ſubſunt, flectunt ipſa plurimùm tibiam. Oſſa igitur ſeſamoeidea ſubſunt pedum digitis quinque nouendecim, & articulis manuum intus inſunt totidem, omiſsis etiam externis rarioribus & obſcurioribus. Vtilia autem ſunt, ne deorſum pedum articuli, introrſum manus in ſumma & violenta tenſione luxentur, & vt firmam magis tenſam manum & pedem efficiant. Hac autem ratione ſeſamoeidea inuenies promptiſsimè. A manu & pede tendones digitum tenſores ita excide, ne ſimul articulorum ſubiectorum cartilagines auferas, quæ ſeſamoeidea mentiri poſsint. Sub his tendonibus in manu frequentiſsimè, in duris corporibus præſertim, duritiem quandam deprehendas, nunc cartilaginoſam, nunc oſſeam multùm aſperam, quæ vnguibus confricata ſtrepitum quendam edat. Deinde ligamenta omnium articulorum tranſuerſim ſecabis ad vſque horum faciem interiorem in manu, inferiorem in pede: in qua facie oſſa ſeſamoeidea reperies, ſed ligamentis quibus impli-

implicantur, reſectis, velut nonnihil retracta ſurſum, & verſus digitorum radices.

DECIMAE TERTIAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

IN cartilaginibus nihil à Galeno variat calumniator, ſed omnia ex Galeno corraſit: tantùm addidit tenues quaſdam cartilagines quibuſdam articulis inditas, vt clauis cum acromio interdum, cùm ſterno ſemper, & genæ infernæ cũ oſſe temporali, cubito cum carpo, à Galeno & veteribus alijs non fuiſſe compertas. Quæ illorum omiſsio & negligentia fuiſſe non videtur, ſed coniectare liceat maiorum corpora his caruiſſe, & meritò, cùm magis imbecillitatem articuli ex maiori volubilitate declarent. Sic enim & brachij cũ omoplata articulus quia mobilis plurimum eſt, ſine tamen hac cartilagine multum eſt lubricus & luxari paratus etiam ſi eũ ligamentis validiſsimis & duabus prælongis omoplatę apophyſibus acromio & coracoeide muniuit natura. Quemadmodum nanque ſi calceo ſoleam exemptilem ex panno, penicillo, ſubere, corio vel alia molli materia immittas, etiã ſi calceo laxius ſit aſſuta, incertam & multùm lubricam facit ambulationem, ſic hæ cartilagines articulis illis velut innatantes, non motuum varietati deſtinatæ (quem tamen earum vſum commentus eſt calumniator, dum à ſe has primùm inuentas falsò gloriatur) neque firmitudini, ad imbecillitatem motionis pertinere magis cuipiam videre poſſint. Quæ verò cartilagines his non ita diſsimiles crus & tibiam intercedunt: quia ligamentis ſunt firmiſsimis connexæ, & cauitates tibiæ augent, motuum robur planè confirmant, vt Galenus rectiſsimè ſcripſit lib.3.vſus partium. De ea verò quæ acromion & clauim aliquando intercedit, poteſt os intelligi memoratum Hippocrati libro de articulorum luxatione, cuius etiam meminit Gal. tum ſuis in eũ librum commentarijs, tum libro de oſsibus. Eam autem cartilaginem quæ cubito & carpo intercedit in noſtris corporibus, ne nominat quidem in fine libri ſecundi vſus partium, nec fuiſſe hominibus ſuæ tempeſtatis ex eius oratione

ne coligas licet, quâ eam carpi cum cubito articulationem motus violentos ſæpe obituram ſcribit, & ob id naturam eius articuli diſpatheiæ admodum ſolicitè prouidiſſe per ligamenta validiſsima. in qua articulatione ſi cartilaginem inueniſſet, non tacuiſſet eius vſum, quomodo neq; cubiti epiphyſeos vſum omiſit. Potes etiam has cartilagines ligamentis adiungere, quæ χονδροσυνδέσμους vocat. nam quæ in imo cubito eſt, ipſum carpo & radio firmiſsimè alligat.

DECIMAE QVARTAE CALVMNIAE DE PVLSIO.

De partibus alijs ſimilaribus, ligamentis, membranis, villis, carnibus, glandulis, adipe, medulla, nihil particulatim ſcripſit calumniator, cùm tamen ſimplex compoſito ſit & natura & doctrina prius: ſed paſsim cùm ſingulorum occaſio aliqua incidit, obiter horum mentionem quandam breuem facit: neque in his, quod ſciam, à Galeno diſſentit, niſi quòd ligamenta ſenſu nunc carere, nunc prædita eſſe ſcribit, ignorans quid tandem hac de re ſibi ſit conſtituendum. Sed nos id abundè diſtinximus capite tertio noſtræ eiſagoges anatomicæ. Præterea cauſam motus voluntarij, nunc neruo ipſi, & eius villis (vti oportet) adſcribit: nunc ipſi carni ſimplici villos ipſos munienti aſsignat, perſuaſus eam eſſe vt in corde, pulmone, ventriculo, hepate, liene, renibus, ſic in muſculo primarium actionis inſtrumentum. Sed harum partium caro, facultatum quarundam naturalium, & præcipuè coctionis (quæ à calido in humido eſt) cauſa eſt, non motuum voluntariorum. Pulmonis enim motus in reſpirando duplex paſsiuus eſt, ac ab alio fit, nempe thorace, inſpiratio quidem fuga vacui; expiratiò autem à thoracis compreſsione. Coctio autem quædam aëris ac præparatio cordi, ab ipſius carne, vti ſpiritus vitalis nutritio: & caloris in eo natiui, à carne cordis eſſe poſsit: ſed cordis motus à villis eſt, rectis quidem diaſtole, tranſuerſis verò ſyſtole, & obliquis quies inter hos motus media. Sed donemus quandam horum actionem, vti aliorum prius commemoratorum, ab ipſorum carne proficiſci, non tamen

Libro 2. cap. 2. ad finem.

Digitized by Google

men motus voluntarius à carne ipſa propriè dicta efficitur. Nam hic à muſculo fit pro noſtra voluntate contracto, & ſimul partem mouendam ſuis inſertionibus & tendonibus aponeuroſibúſve contrahente. Caro autem cùm ſit velut ſanguis quidam ſiccatus, (vt docuit Galenus) nec villos habet: nec ſi habeat, in his firmitatem aliquam obtinet, quę partem attrahere ſufficiat. Ad hæc cùm ipſa rarò in partes mouendas perueniat, & in quas peruenit, villis firmatur neruoſis & ligamentoſis, quibus ſolis partes eas attrahit, certum eſt motum voluntarium à villis ipſis ceu funiculis quibuſdam contractis perfici, quibus caro & munimentum & firmitatem aliquam præbet, ac villos ipſos nimis tendi in vehementi actione & contrahi prohibet: vti ſtuppæ filis interſitæ & intertextæ. Sed in re perſpicua teſtibus & argumentis vtor minimè neceſſarijs, præſertim cùm ipſe ſuum errorem agnoſcat, & palinodiam canat, his verbis. Motus cauſa nerui ad muſculos arbitrarij motus inſtrumenta diſpenſantur, qui grandes neruos admittunt: quia corporis partibus mouendis ſunt extructi. Quam ſententiam ibidem & alibi aliquoties cum veteribus comprobat.

Libr. 3. metho.

Lib. 4. cap. 1.

DECIMAE QVINTAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

PRAETEREA Galeno calumniam impingit manifeſtam, quòd partes ſolas eſſe ſanguineas carnem & adipem ſcripſerit. Nam libro primo de ſpermate partes ait ſanguineas, vt carnem & adipem, poſſe regigni. ſpermaticas verò, vt cartilaginem, ligamentum, membranas, non regigni. Sed hæc exempla ſunt, non omnium partium ſanguinearum aut ſpermaticarum enumeratio. Siquidem libro de formatione fœtus, ex ſanguine etiam cor & hepar gigni ait. Ex eodem fiunt lien, renes, & ſiquæ partes aliæ rubent. Quin ex ſanguine partes noſtras omnes & gigni & nutriri ſcribit Galenus commentario in lib. Hippocratis de natura hominis, quaſdam ſcilicet, vt rubras, primò & per ſe: alias verò, nempe albas, ſeminis interuentu. Nam ſemini origo

ex ſanguine eſt, vt pulchrè probat Gal. lib. de ſemine, & de vſu partium, & alibi paſsim.

DECIMAESEXTAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

In venis multò plus ſapere quàm veteres anatomici omnes ſibi viſus eſt calumniator: propterea ſtatim ab initio venas à corde naſci contendit, argumentis tam futilibus & falſis, vt vel meminiſſe pudeat, & multò ſit æquius cum medicis veteribus eas ab hepate, quàm cum Ariſtotele à corde ortas fateri. Cui in anatome peccanti ignoſcendum putat Galenus, quòd derepente ad eam tranſierit. Portam præterea ex hepatis parte ſima naſci, & velut radices quaſdam cauæ, omnibus eſt exploratiſsimum, vti & arteriam venoſam in pulmones diſpertitam arteriæ magnæ. Eas autem radices ipſi trunco proximas locari oportebat, vt citius & tutius materiæ tranſſumerentur. Quod profectò non fieret, ſi à dextro cordis ventriculo ortam reciperemus, cui re uera latus tantùm veluti lacerum adaperit caua, & partes eius lateris tanquam laceratas trifariam diuiſas in vētriculo dextro inſternit. id quod tibi luce meridiana clarius apparebit, ſi venam in longum per thoracem ſectam ſanguine expurgaueris. Eius enim corpus continuum aſcendere ad claues vſque ſpectabis, nulla in dextrum cordis ventriculum facta totius ceu trunci inſertione. Cauam autem venam ab hepatis gibba parte naſci, demonſtratione euidenti Galenus conuincit libro ſexto. Ad hæc oriri medicis eſt multiplex. Nam hepar à vena vmbilica & naſci & gigni in vtero à Galeno probatur libro de formatione fœtus: & venæ omnes ab hepate naſcuntur (vmbilica enim formato fœtu non amplius hepatis origo eſt, nato autem vena eſſe deſijt, & vena arterioſa ſimpliciter vena non eſt, ſed arterioſa eſt) quòd in eo ceu terra quadam infixæ ab eo uim quandam ſanguificationis mutuatur, & ſanguinem ab eo in corpus uniuerſum diſtribuunt, non quòd plantæ modo ab hepate germinent, deinde paulatim auctæ tandem in partes ferantur. Nā tota ſimul & vena, & arteria, & neruus, & membrana, & ligamentum,

ligamentum, & cartilago, & os, &c. generari videntur, poſtea tamen per nutritionem augeri vſq; ad iuſtum incrementum: quamuis eorum quædam, vt oſſa, initiò propter largam humiditatem muco cuidam ſimilem magis habent ſubſtantiam, deinde cartilagini, donec tempore tandem à calore natiuo ſiccata duritiem hanc lapideam aſſequantur. Ad hæc ramos inſignes hepatis gibbæ frequẽter tres affixos cernas, aliàs plures, aliàs pauciores, ſed minores, parti eius poſticæ qui eius cauæ ceu radices quædam videri poſſint, per quas ipſa caua ſanguinem & recipiat & trahat. Nõ quomodo plantarum radices in vnum ſimul truncum, ſi vnicaules ſunt, omnes coëunt: ita hæ in cauam colligantur, ſed ibi quoq;, vt in thorace prius, ſecta in longum caua, velut continuum quoddam corpus ab oſſe ſacro ad claues repræſentat. Vnde forſitan & occaſio quędam controuerſiæ de ortu venæ cauæ proficiſcitur. Sed id haud ita magni ſit momenti, modò in hepate ſanguinem genitum in cauam emitti, & ab hac in cor, & cæteras corporis partes recipiamus. De hac tamen controuerſia iterum pauca quædã huc pertinentia ſcribimus noſtris annotationibus in lib. 16. vſus partium. Quòd ſiquis omnium harum velut radicum circunferentias ſimul iungat, & exploret an huic venæ cauę principium æquent, certius erit iudicium, ac etiam ſi flatu diſtendat à lumbis ad claues, aut etiam ſi diſſectam totam dimetiatur, aliquid inueniet quod hanc vel illam opinionem vel minuat, vel confirmet, ſed non multum cum differentia amplitudinis. Venæ cauitas tã ſit locis ilis exigua, vt ſenſu ægrè deprehendi queat, ſi modò demas quantum eius in venam azygon, coronarias, phrenicas eſt abſumptũ.

DECIMAESEPTIMAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

IN maiorũ corporibus thoracẽ prælongũ, quia ſternon oſsibus ſeptẽ omnino conſtabat, ſortitis, vena octo coſtas thoracis inferiores nutriens ἄζυγος dicta, à caua vbi primùm dextrũ cordis ventriculum attigit nata ſemper Galeno eſt obſeruata, vt ſcribit libro quinto locorum affectorum ca-

G pite

pite ſecundo, & ter initio libri ſecundi de ratione victus in morbis acutis, & libro ſexto vſus partium in fine. Noſtris auté hominibus ex corrupta ſterni longitudine, vt eſt prius probatum, prior quoque azygi venæ origo ſtatione relicta nunc cor ipſum tranſilijt, ſed loco & interuallo maximè inconſtanti, vt nunc paulò, nunc multò ſit corde ſuperior: vt interim figuræ ipſius & magnitudinis & apophyſeon inconſtantiam quoque maximam omittam. Nam interdum ex ſuo trunco ramos vtrinq; in ſpacia intercoſtalia diſpertitur, interdum dimidio ſui in latus ſpondylorum ſiniſtrum tranſmiſſo, velut alterum ei lateri truncum & ab eo ramos in eius lateris ſpacia dimittit, idq; modis admodũ varijs. Ad hæc ea tum minor eſt, cùm intercoſtalis ſuperior eſt vtraque maior, & in plura diſtribuitur ſpacia. Si alterutra tantùm grandeſcat, paulum azygos minuitur, quemadmodum & dum à caua ſub renalibus ramus mediocris in eam ceſſat, quem flatus azygi in eum ramum, aut rami in azygon erumpens declarat. Nec in hoc eſt Galeni peccatum, ſed naturæ in nobis mutatio ex cœlo, ſolo, victu profecta: de qua fuſius epiſto. in noſtram eiſagogen anatomicã egimus: vt neminé hodie mirari oporteat, ſi in corporibus tempeſtatis huius abundent quædam, deſiderentur etiã aliqua eorũ quę à maioribus anatomicis obſeruata ſunt. Nec ſe huius animaduerſionis authorem iactet calũniator. Nam & idem plerique omnes abhinc annis aliquot & pernouerunt, & ſi anatomica ſcripſerint, commemorauerunt, vt Nicolaus Maſſa Venetus abhinc annis 16. hic tamen ſolus pro azygo ramos à caua duos in coſtas nouem inferiores producit: duas quoq; habuit, vnam ab aure dextra, alterã inferiorem à caua cordi adaperta. Antonius Maſſa chirurgus Parrhiſienſis planè doctiſſimus, & in arte corpora ſecandi exercitatiſſimus, magno omniũ medicinæ ſtudioſorũ planctu his diebus paucis mortuus. Cauſam tamen huius diſſenſionis nemo, quod ſciam, attigit. Nam Galenum voluiſſe Hippocrati conſentire hac in re potius quàm illi repugnare, commentum mihi videtur, cùm locis alijs omnibus eandem retineat ſententiam, nec ita fuerit addictus Hippocrati (cui tamen tam fuit addictus, vt teſtetur ab Hippocrate ſcri-

æ ſcriptum fuiſſe perperam nihil) vt veritati dogma Hippocratis vnquã prætulerit: vt ſuis in Hippocratem commentarijs ſæpe palàm declarauit. Placet autem magis probabilẽ hanc rationem noſtrã de ſterni breuitate azygon transmutante ſequi, quàm in præceptores tam abſolutos impiè & arroganter & petulanter debacchari.

DECIMAEOCTAVAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

A' VENA caua propagines in ventriculum, lienem, inteſtina, epiploon, Galenum diſtribuere ſcribit calumniator, in ſingularum harum partium anatome identidem hoc inculcans: ſed calumniam ex profundiſsima ipſius ignorãtia profectam mox cognoſcet lector candidus, ſi patientem doctrinæ commodet aurem. Galenus initio libri de anatome venarum ſimiæ, à vena magna quæ ad hepatis portas eſt, ramos ſeptem in ventriculum, lienem, inteſtina, epiploon, bellisſimè diſtribuit, vbi ſexies τὴν φλέβα μεγάλην, id eſt venam magnam, etiam bis adiecta declaratione, τὴν πρὸς τὰς πύλας, id eſt, quæ ad portas, appellat venam portam & portæ nobis vulgò nominatam (quid verò τῆς πύλης nomen hoc loco ſignificet, docet Galen. initio lib. 5. vſus partium) Venam autem cauam ibidem τὴν φλέβα μεγίστην, id eſt venam maximam vocat, & κοίλην, id eſt cauam, & ἡπατίτιν, id eſt hepaticam, vt illam magnam interdum πύλας, interdum στελεχιαίαν, quòd ſit στελέχει, id eſt trunco cuidam plantæ ſimilis. Cui στελέχει etiam arteriam ἀορτήν eodem libro comparat: venam verò cauam τῷ πρέμνῳ id eſt caudici. Porrò de στελεχιαίᾳ ſic Galenus: Quę per ventrem expelluntur, *Libro 6.*
cauſam habent aliam raram ex anatome apparentem. Nam *loc. aff. ca*
vena caua, interueniente τῇ στελεχιαίᾳ καλουμένῃ ſibi adaptata *pi. 4. in fi*
id efficit. In iecore vena ad portam ſita, à recentioribus a- *ne.*
natomicis στελεχιαία dicitur, quòd aliarum veluti caudex *Libr. 6.*
quidam ſit, earum ſcilicet quæ folliculo fellis, ventriculo, *admi.*
lieni, inteſtinis, epiploo diſtribuuntur, vel earum quæ ſunt in ſima, vt libro de formatione fœtus, vel aliarum à gibba ortarum, vt paulò antè libro eodem ſcribebat. ἐπιπολῆς καὶ

σιλιχναία, vnde omnes aliæ venæ ſanguineis ac pedeſtribus animalibus procedunt. Eadem quoque porta intelligitur Galeno ſcribenti ibidem: Vena quædam ex iecore pertinet ad lienem, &c. Magnam quoque venam quæ ad portas eſt, vocat Galenus libro ſexto adminiſt. maximam verò cauam appellat libro decimoſexto vſus partium ad finem. Venam item maximam ex gibbis hepatis natam ſcribit Galenus libro quinto vſus partium. Quanquam & venæ huius maximæ ramos inſignes, vt qui in thymo primi fiunt, & qui ad os ſacrum, venas etiam magnas vocet Galenus in anatome venarum. Et hac de cauſa venam cauam poſsis vocare magnam, & σιλιχναίαν. & arteriam quoque aortam appellare σιλιχναίαν: tamen ex conſueta doctis vocum ſignificatione omnia ſunt interpretanda, non pro cuiuſque arbitrio. Maxima autem vena vel arteria, maximus neruus ab anatomicis vocatur, non à longitudine, ſed maximo circulo, hoc eſt, craſsiſsima, ampliſsima, capaciſsima. At verò ſtupidam calumniatoris ignorantiam, & natam ex ea hanc calumniam clarius cognoſces, ſi in cauæ venæ diuiſionibus omnibus à Galeno deſcriptis, nunquam Galenum alicuius ramuli à vena caua diſtributi in ventriculum, lienem, inteſtina, epiploon, meminiſſe deprehendes: immo omnes venas quæ per inteſtina, ventriculum, lienem, epiploon intercurrunt, ad hepatis portas porrigi ſcribit libro ſexto adminiſt. & diſtributionem venarum omnium in inteſtina, ventriculum, lienem, epiploon, à vena vnica quæ ad portas hepatis oritur, affirmat in fine libri 16. vſus partium. Ex his luce meridiana clarius intelligit lector, quantũ ignorantia etiam rei grammaticę, & iudicandi celeritas calumniatorem à veritate auerſum infatuauerint, dum in Galeno venam magnam interpretatur cauam, cùm ſit intelligenda, vt demonſtraui, vena porta, à qua ſola, non à maxima ſeu caua, venæ in ventriculum, lienem, inteſtina, epiploon, diſtribuuntur. Hæc ſi legerit ac intellexerit calumniator, certò ſcio ignorantiæ ſuæ & arrogantiæ ac impietatis conſcius, pre pudore in tenebras aliquas ſecedet, ne digito etiã ab idiotis monſtretur, & calumniarum fabricator clametur: aut peccatum hoc calumniandi in præceptorem tam pium, tam

Libr. 3. admi.

Digitized by Google

tam doctum, tam ſuorum ſtudioſum, agnoſcet, ac palinodiam ſcripto libello aliquo canet: ac veniam ſupplex implorabit à præceptoribus, quorum numina læſit, & ab his quos falſa eruditione corrupit: poſtremò etiam à Syluio, cuius conſilium tacendi potius quàm falſa ſcribendi antea neglexerit, & cuius horas bonas non paucas ſtudijs melioribus debitas, in ſuam farraginem intelligendam & refutandam traxerit, magno & animi & valetudinis diſpendio. Quæ cætera in venis huic ſunt cum Galeno controuerſa, & pauciſsima ſunt, & leuiora quàm quę coargui aut componi debeant, prӕterquam quòd ramum à ſplenicæ iā lienem tangentis ramo, nunc ſummo, nunc illi proximo ad ventriculi latus ſiniſtrū efferri & ad vſque eius os aſcendere pernegat calumniator, per quē Galenus humoris melancholici aliquid ex liene reliquū ad os ventriculi excerni ad excitandam ſuo ſapore acerbo & acido appetentiam ſcripſit. Hunc quoque ramum etiam calami ſcriptorij, & interdum parui digiti magnitudine conſpeximus in mulieribus præcipuè. Huius rami beneficio fit, vt quartanarij hūc amplū ſortiti, vomitibus aut ſpontinis aut etiam medicis ante & poſt acceſsionem præſertim declinante morbo multum iuuentur. Idem quoque ramus cauſa eſſe videtur cur in quartanis non lien ſolus afficiatur, ſed etiam os ventriculi. *Libr. 4. v. p.*

Nec totæ lienis reliquiæ in hunc ramum expelluntur, ſed plures in alterum ramum ab infima ſplenicę ſobole enatum, & per omentum in ſedis hæmorrhoeidas quibuſdā deſcendentem. Ad hæc per ſplenicam multū verſus ſimam hepatis recurrit, quod à meſenteria vena exceptum in inteſtina excernitur. Qua ex cauſa rectè Galenus ſcribit lienem per inteſtina expurgari, etiam accedente illa portione tandem quæ in ventriculum tranſmiſſa fuerat. *Libr. 13. meth. & libr. 2. ad Glauconem.*

DECIMAENONAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

De arterijs omnia propemodum ex Galeno mutuatus eſt calumniator, vt idem ſtatuas de cæteris omnibus ab eo ſcriptis quæ legi digna ſunt niſi quòd paucula quædam &

eadem leuiſsima, ſcrupuloſe magis quàm vtiliter conquiſiuit, quibus vt ſuis ſeſe iactat: πλέγμα autẽ δικτυοειδὲς à Galeno & veteribus deſcriptum in vſus maximos à natura factum, eſſe omnino in homine nullũ, ſed in bubus, & brutis quibuſdam alijs affirmat calumniator, cũ id hodie tam verum appareat omnibus, quàm maiorũ noſtrorũ ſeculo viſum fuit. Id autem vbínam ſit, & qualénam ſit, & qua ratione inueniri queat, paucis explicabimus. Arteria carotis præcipua vbi per obliquum valde foramen in oſſe lapidoſo exculptum intra cranium penetrauit, in duos abit ramos planè conſpicuos. ij deinde in alios atque alios ſibi mutuò retium in aream proiectorum modo inſtratos: qui tandem omnes in vnã redeunt, quæ craſſã meninge pertuſa in cerebrum & eius mẽbranas ramoſiſsimè diſtribuitur, dextra vna, & ſiniſtra vna prope neruos opticos emicans. Hic autem arteriarũ implexus eſt ſub craſſa meninge quà nerui tertiæ deſcẽdunt, & in duas partes diuiduntur ad latera apophyſeon clinoeideon in oſſe ſphenoeide. ſæpe etiã glandulam pituitariã attingit parte poſtica, eſt quando ambit, aliquando etiam ad contactum exorientis rhachitidis extenditur. Deprehendes verò ſecta eo loco meninge craſſa neruum tertiæ & lõgum tegente. Præterea ſi carotidem in collo inflaueris, id rete cum flatu ſubſultare aſpicies, & ſanguinem ex his arterijs ſi vulneratæ ſint, eodem flatu velut expui, & ſimul ex eo ramo in cranij capacitatem erumpẽte, in quem hæ tandem coeũnt. Idem explorabis rectè, ſi eundem ramum tubulo inflaueris. Nam & ſtrata hæc ramulorum moueri, & flatum cum ſanguine miſtum per vulnus reddere cernes, & eius flatus aliquid in arteriam carotidem emitti. Quòd ſi ferris falcatis oſſa temporum deinde lapidoſa prudenter ſecueris, arteriam carotidem totam cũ ſuis omnibus his ramis à cranio eximes, ac ſpectandam exhibebis. Huius retiformis plexus vtilitatem omnino maximam ex Galeno repete. Hanc partem qui in homine factam à natura negat, nónne Gigantum more cum dijs pugnat, hoc eſt naturæ repugnat, eíque obſtrepit indignisſimè? Alius eſt contextus retiformis ſupra craſſam meningem, prope neruos opticos ex venis & arterijs complicatus, etiam calumnia-

lumniatori receptus, & vel pueris perſpicuus. Verum autem plexum retiformem quo dixi modo qui inquiret, mox inueniet, quibuſdam maiorem tamen, alijs minorem: & calumniatoris ſtupidam ignorantiam & impiam naturæ accuſationé damnabit. De foramine arteriæ magnæ per diaphragma prope œſophagum, agimus abundè noſtris annotationibus in libros de vſu partium.

VIGESIMAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

GALENI placitum negat recipiendum calumniator de olfactus inſtrumento in ventribus anterioribus collocando, cùm olfactus inſtrumentum verius eſſe exiſtimet cerebri proceſſus duos molles albos, qui prope opticos neruos nati, & tenui meninge quadãtenus deducti ad foramina ethmoeidea feruntur. Quos neruo forma & colore ſimiles Herophilus & Galenus neruis ob id non acceſent, quia meninge craſſa & cranio, vt nerui veri, non excidunt. Sed idẽ eſt Galeni iudicium libro de inſtrumento olfactus, dicentis, *Lib. 8. v. p.*
» Duæ ſunt cerebri apophyſes cauæ ex eius ventriculis ante-
» rioribus ortæ, deſcendentes autem in eam cranij partem,
» vnde naſus enaſcitur. Hæ autem ſunt inſtrumenta olfactus.
» Tamen etiam eodem libro addit, Senſum olfactus credimus
» ſitum eſſe in ventribus cerebri anterioribus. vt ſint ventres ipſi ſedes præcipua olfaciendi: ſed ipſæ apophyſes ventribus ipſis continuæ, & foraminibus ethmoeidibus, veluti viæ ſint quædam vaporum odoriferorum ad ventres ipſos deferendorum. Sic enim mihi facilè & rectè loca illa Galeni poſſe conciliari videntur. Maſſa has apophyſes etiam in nares educit, & neruos appellat.

VIGESIMAEPRIMAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

GALENO & veteribus anatomicis, neruorum à cerebro natorum paria tantùm ſeptem numerantur: ſed diligentius obſeruanti, plura videri queunt. Tertium enim par

verius eſt duplex. Nam ad quinti paris radicem vnum aliud par veteribus incognitum ait calumniator ſui libri 4. initio. Sed hoc & Galenus prior illo cognouit & deſcripſit, & id nunc ſecundo pari maritat, quod per idem longum foramen cranio excidant: nunc tertio, vt cũ quo aliquãdiu per cerebri baſin ſub craſſa meninge feratur. Nã li. 9. v. p. ita ſcribit, Foramen neruorũ oculi motorũ, ſeu paris ſecũdi, anguſtum eſt, ſed neceſſariò prælongũ: quia neruos duos mutuò ſeſe ſubſequentes continere debebat. Eſt. n. vterq; eorũ (vt verũ dicã) multiplex: ſed in pñia, vt dilucidior ſit noſtra expoſitio, dicamus licet vnum eorum eſſe qui in oculorum muſculos diuiditur, alterum autem eum qui ad ſuperiorem genam peruenit, quíque ſimul cum altero excidit per dictum foramen: ſed cùm ad oculorum cauitatem peruenit, cortice oſsis & ſquamma tenui tectus, rectà ad nuncupatum malum fertur: perforatiſque rurſus ibi oſsibus quæ ſunt ſub oculis, ad genã ſupernam diuiditur, oſſe malorum eminenti munitus. hæc Galenus. Quibus verbis neruũ longum (ſic enim appellandum cenſeo, vt ab altero ſecernatur) per meatum ſub oculo inter ſquãmoſa ipſius oſſa deſcendentem nouiſſe planè comprobatur. Cuius hęc maxima & principaliſsima portio, ac ſitu infima propagines diſtribuit in omnes ferè partes quæ ſunt ſecundum ſupernam genam, & dentes ipſius omnes & gingiuas & cilia. Alias quoque nerui longi propagines tres ſupernam internam & externam commemorauit. Supernam quidem libro nono vſus partium, aliquot folijs poſt prædictam orationem. A neruis qui ex regione oculorum ad muſculos tẽporales aſcendunt, & cilia, & quæ circa ſupercilia ſunt partes, & frons tota neruos recipit. Vbi etiam obiter meminit propaginis externę in muſculos temporales diſtributæ: cuius antè multò meminerat his verbis. Ab his neruis productio, ad muſculos temporales pertinet, per oſſa temporum excidens. Quanquam per hos neruos tertiam coniugationem intelligere poſsis. Nã & ab hac, & à longa, & à quinta nerui in hos temporales muſculos diſtribuuntur. Et paulò antè & longi paris, & tertij mentionem fecerat. Supereſt interna propago longi nerui, de qua ſic libro nono vſ. p. Tunicam quæ nares intus

Libro 9. vſus partium multò poſt.

tus ſubcingit, eius neruorum portionis quæ ad oculorum cauitatem fertur, eſſe participem dicebamus. Horum autẽ via hæc eſt. In maioribus vtriuſque oculi canthis, oſsis eſt foramen narium capacitati & oculis commune, per quod fertur neruus haud exiguus ab oculorum cauitate enatus: mox vbi in eam nerui tertiæ coniugationis peruenerunt, Vbi tertiam coniugationem vocare videtur longam, niſi malumus hanc vtranque intra cranium nonnihil miſceri & propterea horum propagines eſſe ambiguas. Nam paulò ante ſcripſerat: gingiuæ & dentes omnes, & tota cutis faciei, & tunica narium partem internam ſubcingens, à tertia neruorum coniugatione propagines recipiunt per eam viã quę per genã fert. Et li.11.v.p. Neruorũ principiũ oĩb. faciei muſculis, tertia eſt neruorũ à cerebro proficiſcẽtiũ coniugatio. Et libello de neruorũ anatome: A tertia cõiugatione ſurculũ primũ in muſculos tẽporales cum ſurculis quintæ cõmiſtum tranſmittit, alterum in muſculos temporales, maſſeteras, & eos qui ex gena ſuperna oriuntur, & gingiuas, dentes, cutim faciei, tertium in dentes & gingiuas genæ infernæ, quartũ & præcipuum in linguæ tunicam. Quæ omnia indicant & comprobant Galenum nec ignorantiæ horũ neruorum longorum, nec negligentiæ inſimulandum fuiſſe. Deſinat igitur calumniator aliorum inuentis vt ſuis gloriari, & ſe plumis alienis venditare, agnoſcatque miſerũ eſſe famæ alterius inniti, ne collapſa ruãt ſubductis tecta colũnis: cognoſcatq; tandem q̃ ſe præbeat omnibus ridendum, vbi iã furtiuis colorib. eſt denudatus. In neruis quoq; reliquis cum Galeno conſentit calũniator, vt ex cuius fontibus oĩa hauſerit, ſed turbulenta magis reddiderit. Quis.n. longã in calũniatoris farragine verboſitatem de neruis recurrẽtibus patienter audiat, cùm eorũ diſtributionem planè diuinam à natura iuſta, prudente, artificioſa factã, elegantiſsimè & planiſsimè à Galeno aliquoties explicatam, magna animi voluptate audiuerit? Ad hęc quos quatuor neruos à lũbis & oſſe ſacro in crus diſtribui ſcribit calũniator, primum ſuper paruum trochantira delatum, ſecundũ per inguen cũ crurali tũ vena, tum arteria, tertium per foramen oſsis pubis, quartũ longè omnium craſsiſsimum, per ſinium magnum inter *Libro. de v. p. 16. lib. 1. loc. affect.*

coccygem,

coccygem,& os ilium. Galenus ad tres reducit tertio commentario in librum περὶ ἄρθρων, his verbis: Neruorum in crure principia ſunt tria, vnum in priori parte iuxta magnum foramen oſsis pubis ſubiectum. Alterum ad inguina, vbi neruus fertur, & cum magna vena & abſque ipſa à parte cruris anteriore. & hæc duo parua ſunt. Maximum autem neruorum principium à poſteriori parte fertur ad crus vniuerſum, primumque procedit ab ea regione quæ eſt inter os latum, & vocatum κόκκυγα.

VIGESIMAESECVNDAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

IN muſculis quàm plurimis calumniator à Galeno diſſentit: ſed quàm iniquè, paſsim oſtendimus noſtris annotationibus in libros de vſu partium. Has verò eius calumnias hoc loco amoliri & longum eſſet & obſcurum, propter lõgam & obſcuram muſculorum hiſtoriam. Magnam prætcrea partem falſarum huius accuſationum dilues, ſi intellexeris libros de vſu partium, hominis eſſe ſolius: & libros adminiſtrationum, in ſimia ſola à Galeno ſcriptos: vt locis aliquot ex Galeni adminiſtrationibus & vſibus partium probo, annotatione vna in librum primum harum adminiſtrationum. Quanquam ſæpe in libris de vſu partium corporis humani, ſimiæ obiter, & aliorum quorundam animalium homini quadantenus ſimilium mentionem faciat Galenus, & contrà, hominis ſæpe meminit in adminiſtrationibus. Nam homo, & ſimia homini ſimillima, plurima habent communia: plurima etiam animal vtrunq; propria obtinet. Malè igitur calumniator omnia de muſculis ſimiæ in adminiſtrationibus anatomicis & libro de muſculorum anatome à Galeno ſcripta, homini tribuenda putat. In qua controuerſia ſe miris modis diſtorquet, & Galeno impotenter obſtrepit, vt dum ſcripta in ſecundo adminiſtrationũ de cruris muſculis, cum ſcriptis lib. 3. vſus partium comparat. Quo etiã loco malè Galeno tribuit, quòd ſimiam ab homine duntaxat in pedis digitorũ diductu differre, quòd ſcilicet ſimia longiores & magis diſcretos digitos

Libro 2. cap. 58.

tos quàm homo habeat, ſcripſerit. Id enim nuſquam Galenus ſcripſit, & plurimas alias ſimiæ & hominis differentias apertè libris ſuis anatomicis expreſsit: quas in vnum caput aliquando colligemus. Ex his quoque differentijs vnam hìc explicat calumniator, quòd in ſimia muſculus plantaris ſuo tendone per ſinum in pterna poſtica exculptum, toto in plantá pedis ſubtendatur: in homine lateri interno pternæ totus inſeratur, nec in plantæ cutim tranſeat, ſed eius loco ligamentum craſſum ex pterna ortum. Sed cur titulũ eidem capiti præponit, De lateſcente tendine cuti plantæ ſubnato? Si enim homini deeſt, nulla huius tituli vtilitas eſt, niſi excuſet ſecundũ Galeni ſententiam id accipiendũ. Sed re uera hic tendo plantę ſubnaſcitur, vt palmaris muſculi tendo palmæ: & cùm muſculus & tédo deſunt, ex vicinis ligamentis & tendonibus ſuffici tendo ſolet, vt in manu, ſic in pede. Hunc nanque plantarum tendonem circa mediam ſuram in cutim abſorberi vidimus, ita v t poſtea non compareret, ſed cum ea ad plantæ cutim occultus deſcendebat. Quoties autem tendo hic ad pternam vſque deſcendit (id quod illi propè eſt perpetuum) circa eius partem poſticam diuiſus, per vtrunque pternæ latus membranis & ligamentis & adipe auctus ita ei illigatur, vt illic ceſſare videatur. Si tamen prudenter & manu docta diſſecas, eius tendonis villos in plantam ipſam penetrare deprehendes, & eius vſum eſſe omnino eundem, qui palmæ eſt à palmari. Quanquam & per illa ligamenta, & membranas & cutim plantæ, pedem videatur extendere hic tendo, ſed id languidè admodum, cùm & minimus ſit, nec in pternam inſertus, nec in hanc actionem à natura comparatus. Ob id malè muſculum hunc & tendonem ſoli pedis extenſioni deſtinat calumniator, cùm eam actionem tendo alius longè omnium robuſtiſsimus ex gemellis & ſoleo productus efficiat, & præter hunc peroneus, & pedis digitum flexor, magnus vterque, vno tendone per plantam pedis contra ſe inuicem obliquante. Quibus qui minimum hunc tendonem tanquam adiutorem accenſet, perinde facit ac ſi gigantibus maximis & robuſtiſsimis pygmæum quendam ſpithameum adiungat.

VIGE-

VIGESIMAE ET TERTIAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

ACCVSANDVS etiam à calumniatore non eſt inſcientiæ aut inconſtantiæ Galenus, ſi octo muſculorum epigaſtrij ordinem aliquoties ratione optima mutauit. Nam libro ſexto methodi, & libro quinto adminiſtrationum, ordine naturæ eos deſcribit, primos ſcilicet obliquos deſcendentes, ſecundos obliquos aſcendentes, tertios rectos, quartos & poſtremos tranſuerſos: libro autem quinto cap. 6. locorum affectorum, primos recenſet rectos: quanquam primos non appellet, vt clarius explicaret reliquos tres ordine legitimo deſcriptos, ad rectorum contactum in aponeuroſes degenerare. Libro item quinto de vſu partium rectos etiam primos deſcribit, quorum collatione tranſuerſi primùm, deinde obliqui ex angulorum cum rectis muſculis varietate appellantur, vt libro ſecundo ſanitatis tuendæ de frictionum differentijs docet Galenus. Rectum enim natura & dignitate prius eſt tranſuerſo, & tranſuerſum obliquo. Tranſuerſum enim eſt quod recto eſt contrarium, vel quod rectum ſecat ad angulos rectos æquales, obliquum verò eſt quod recti tranſuerſique planè eſt medium: vel quod rectũ ſecat ad angulos inæquales, vnum acutum, alterum obtuſum. Videtis auditores quanta carpendi præceptorem, & culpa vacantem, imò ampliſsima gloria digniſsimum, libidine pruriat calumniator, dignus meo iudicio mitti Anticyram, vt hac rabie tandem diſcuſſa, quantum à veritate totus aberret cognoſcat. Det illi deus mentem meliorem, & ijs qui ignorantiæ ipſius ac arrogantiæ patrocinantur. Depulſis iam aliquot inſignioribus calumnijs ignorantiſsimè & iniquiſsimè in Galenum effuſis à calumniatore, & his circa hominis partes tum ſimilares, tum ſimilaribus proximas, venas, arterias, neruos, muſculos, iam libet alias paucas perſtringere de partibus ventris inferioris, thoracis, & cerebri.

VIGE-

VIGESIMAE QVARTAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

Ventricvli fundum craſsius & carnoſius ad coctionis virtutem deprehenditur viſu & tactu facta ſectione in recenti & ſiccato. Quod à Galeno rectè ſcriptum pernegat calumniator. Non tamen magnus eſt exceſſus, niſi tunicam ventriculi tertiam à peritonæo craſsiſsimam ſupernè, auferas: ſed quantus eſt peritonæo, ad lumbos ſupra eius portionem quæ ad ventrem medium pertinet, aut eidem peritonæo virorum ſuperno, & mulierum inferno, ſupra illis infernum, his ſupernum, non quantus eſt multis quadrupedibus. Eadem ex cauſa, ad coctionis ſcilicet perfectionem, fundum ventriculi quibuſdam hominibus eſt obeſius. Nullas autem venas ventriculo à caua tribuere Galenum, vti nec ſpleni, nec epiploo, nec inteſtinis, vt falſiſſimè commentus eſt calumniator, ſed omnes à porta, prius abundè oſtendimus: & venam à ſplenicæ ſuperno ramo aut ei proximo ad ventriculi os extendi, ſuprà quoque cõtra calumniatoris ſententiam probauimus. Quòd autem pylorum in parte ventriculi infernè locat Galenus, reprehendit calumniator, quia cibi (inquit) ante iuſtam coctionem peſſum ruerent. Sed Galeno ſtatuitur in parte inferna, non ſuperna, ſed nec infima, quæ alimentorum effluxui eſſet opportunior. In qua tamen parte infima ſi eſſet pylorus, cibus potus crudus non magis ſuo pondere delaberetur, contra calumniatoris opinionem, quàm fœtus ex vtero cuius os infimum eſt: ſed nec ſanguis à partibus ſupernis in ipſas infernas continenter aut totus defertur. Imò in ventriculo, vtero, venis facultas retentrix villorum præcipuè obliquorum robuſta, id quod familiare eſt, vt in partibus cæteris etiam villos non habentibus, retinet, adiuuantibus tamen quibuſdam membranarũ epiphyſibus quæ inſunt iugularibus, cauæ ad cor & hepar, & cruralib. Retentionẽ quoq; vteri, rugæ oris ipſius iuuant, & calloſa quædã in eo ſubſtãtia, & materia quædam lenta adipi craſſo ſimilis os intus obſtruens. Ventriculi verò retentionẽ firmat pylori craſsities inſignis,

inſignis, non autem glandula, vt Galeno perperam affingit calumniator. Pyloro enim quorundam animalium, vt canum, glandulam tribuit Galenus lib. 4. vſ. partium: homini non tribuit.

VIGESIMAE QVINTAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

Libr. 4. v. p.

VBI inteſtinum tenue deſinit, illinc ad dexteram quidem cæcum, ad ſiniſtram verò colon emergit Galeno. Id quod etiam hodie in omnibus apparet, contra calumniatoris ſententiam putantis inteſtini eſſe cæcum, gracilé quandam cęci inteſtini epiphyſin & prælongam, & eam nunc inanem nunc plenam ſeroſo quodam humore aut ſtercore. Cuius epiphyſeos cùm nulla mentio, quod ſciam, apud veteres legatur, ſuſpicio eſt eam inteſtino cæco accreuiſſe, vel inteſtini cæci portionem in hác degeneraſſe. Eſt tamen præter hanc & inteſtinum cæcum quale Galenus deſcripſit, ſed aliquanto breuius quàm porco aut cani: cui tamen κῶλα, id eſt craſſa inteſtina, ſimilia hominem habere, ſed maiora, ſcribit Hippocrates: quinetiam τῶ ἐντέρω, id eſt inteſtini nomine colon aut cæcum ſcilicet ob vtriuſque magnitudinem inſigné, intelligi ſcribit Galenus initio commentarij quarti in lib. 6. Epide. Hanc verò epiphyſin ſolam vocare inteſtinum cæcum, & quod Galenus cæcum vocauit, coli principium conſtituere, quod calumniatori placet, non probo, quòd ea nominis vſurpatio ſit contra veterum authoritaté, & veritatem confiċta. Huc pertinet quòd Nicolaus Maſſa Venetus annis abhinc ſexdecim ſcripſit cæcũ ſe vidiſſe ventriculo maius, ſæpe tamen minus, & planè mediocre, & vtrunque ſine hac epiphyſi: quam tunc adeſſe ſolùm ſcribit, quando cęcum tam eſt paruum, vt coli pars videri poſſit. Si igitur κῶλα homo habet qualia canes, ſed maiora, vt Hippocrates verè ſcripſit, cæcum autem vnum ex colis eſt cani prælongum, ſed intortum, at æquabile tamen, cæci forma hominibus olim fuit vniformis, non partim ampla, partim anguſta, qualis hodie eſt quàm plurimis. Colon autem ſpeciatim dictum canis habet etiam cęco breuius, nec recto nec

Lib. 6. epid.

etiam

etiam alijs capacius: vt ſit ſuſpicio id quoque canibus mutatum, aut in Hippocrate ὗς non κύνες legendum.

VIGESIMAE SEXTAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

LOBORVM hepatis numerus non eſt vnus in ſingulis animalium generibus, quia ventriculi figura & magnitudo non eſt omnibus eadem, vt ſcribit rectè Galenus libr. 4. vſus partium, & lib. 6. adminiſtr. his verbis. Hepatis lobi pares numero nõ ſunt in cunctis animalium generibus, aut ſpeciebus, neque magnitudine æquales. Nam guloſis ac timidis animalibus hepar maius eſt, & in plures maioresque lobos fiſſum, quàm hominibus. Quanquam nec ipſis hominibus eſt omnibus eadem hepatis magnitudo, & loborũ multitudo. Hepar enim humanum (inquit Herophilus) ſi ad alia quædam animalia conferas, magnum eſt admodum, & quibuſdam ne lobos quidem habet, ſed ex toto rotundum eſt: quibuſdam duos. In alijs plures, in multis & quatuor obtinet. Hæc Galenus. Quin & Hippocrates lobos hepatis humani quinque connumerat libro ſuo de oſſibus, Rufus autem quatuor aut quinque. Malè ergo calumniator hepati humano omni lobos pernegat, & malè lobum omnino diffiſſum, & iam inde ab ſua radice circunſcriptum definit contra veterum omnium ſententiam, cùm ne canino quidem hepati (cui plures lobos tamen tribuit) tales omnino ſint, quanquam pulmoni ſint fiſsi magis & ſecreti. Fiſſura hæc igitur nunc maior nunc minor lobos efficit & diſtinguit non abſoluta. Vnde fit, vt humano hepati lobos ſæpe quatuor annumeremus, magnos duos, & paruos ferè in ipſius ſima ſitos totidem. Si quid aliud de inteſtinis aut epiploo aut meſarǽo controuerſum & à Galeno diuerſum ſcripſit calumniator, id eſt leuiſsimum, quale eſt illud, quòd ſcilicet venas quaſdam in pancreas abſumi, nec ortas ab hepate vidit Galenus, nondum vidit calumniator & ob id eſſe negat, cùm tamen Gelenus Herophilum falſi non accuſet, qui vaſa quædam ſibi animaduerſa in muliere ad vterum deduxit, nec Hippocratem aliosque veteres reprehendit, qui

coty-

cotyledonas vtero muliebri adſcribant ſpectatu difficiles ob paruitatem: quas tamen eſſe, & quales ſint, poſtea demonſtrabimus. Galeni rationem de ſitu altiore dextri renis cõuellere conatur calumniator, nec meliorem affert, cùm natura neque huius renis ſitum neque aliud quicquam fruſtra faciat. Veriſsimam autem Galeni rationem probabis, ſi cauæ venę truncum in hepatis poſtica parte per longum incidis. Ad hæc ſi ad materiarum tractum quęuis, ſiue is totius ſubſtantiæ ſimilitudine fiat, ſiue calore, ſiue ſiccitate, ſiue etiam fuga vacui, contactum aut viciniã multùm commodare intelligas.

VIGESIMAESEPTIMAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

Libr. 15. vſ. par.

IN partibus pudendi virilis inferioribus ſeminis meatus ſecundũ longitudinem exporrectus eſt, cui incumbit neruus cauus, vtrinque verò aſsident muſculi duo. At cùm veſica propè eſſet conſtituta, non erat melius ad excernendum lotium aliud efficere meatum, ſed meatu ſeminis ſimul vti præſtiterat. Hæc Galenus. Iniquiſsimè igitur Galeno calumniator affingit quòd ſeminis & vrinæ meatum communem non adſcripſerit, ſed vtrique proprium. Id enim nuſquam in Galeno legi: quod ſicubi legatur, aut liber Galeni non eſt, aut mendum aliquod ſubeſt. Eius enim ſententia libro illo decimoquinto ſcripta ex profeſſo, ſola eſt recipienda, quam etiam comprobat libro decimoquarto vſus partium his verbis, Cùm oporteat ſemen iaculari marem quidem foras, fœminam verò in ſeipſam, ob eam cauſam vaſa quæ ſemen à teſtibus acciperent, in maribus ad pudendum exporrexit, & orificium eorum adaperuit ad meatum qui illic eſt, per quem etiam lotium foras excernitur.

VIGE-

VIGESIMAEOCTAVAE CALVMNIAE DEPVLSIO.

Galenvs libris de anatome vteri, de ſpermate, & de vſu partium 14. & 15. non muliebrem vterum, ſed vaccinum, ouinum, caprinum docere affirmatur aliquoties à calumniatore, ſed ſine vlla probatione. Cùm enim pronunciatum id ſit omnino falſiſsimum, probari non potuit: ſatis autem habuit admiratoribus ſuæ ſectæ etiam indoctiſsimis falſam quandam perſuaſionem imprimere. Vt autem ignorantiam, impietatem, arrogantiam, calumniam eius cognoſcas apertius, primum tibi vterum vaccinum (ex quo ſimillimum ipſi ouillum, caprinum, ceruinum, facilè intelligas) ad viuum exprimam, deinde muliebrem: poſtremò vteri picturam à Galeno libris prædictis affabrè expreſſam explicabo: vt, lector candide, ſis clariſsimè & certiſsimè intellecturus eam picturam velut è viuo expreſſam à Galeno conuenire omnino ſoli vtero muliebri. Quanquam nõ negamus non pauca, vt ſubſtantiam vteri, & ei annexarum partium, vaccino, ouino, caprino, nempe ſimili quadantenus conuenire, ſed magnitudine, numero, figura, ſitu, connexione, & alijs quibuſdam accidentibus plurimum differre vterum muliebrem à prædictis planè iam demonſtrabimus. Vaccæ non grauidæ vterus propè totus in cornua duo abſumitur, hircorum cornibus reciprocis ſimilia: vt idem de aliorum animalium dictorum vtero tibi perſuadeas. Quorum quidem cornuum etiam imago quædam ſecreta in corpore horum animaliũ vteri apparet ac diſtincta, foris quidem canaliculo medium inter cornua locum occupante, & perinæon exprimente, vt ipſa etiam cornua nates ibi exprimunt, intus verò membrana vteri propria duplata, & ſecundum canaliculi ſitum adhærente, & apertè ſinus duos faciente. Quæ tamen membrana prægnantibus paulatim laxata plurimùm diſparet, ac tum etiam ipſæ velut radices cornuum in fundi vnius formam degenerant. Per horum cornuum mucronem teſtes vaccini ſemen ſuũ varicosè multùm in vterum proijciũt. Tam vtero quàm

cornibus tunicæ adſunt duæ: externa à peritonæo nata, multùm craſſa etiam parturientibus, villis carens, interna villis omnibus ſubcarnoſis intertexta. Vterus & cornua poſt ſectionem oſtendunt cotyledonas circiter octoginta ordine quodam diſpoſitas, in non grauidis quidem ſimiles grano tritici quod Turcicũ vulgus vocat, macerato aqua, & ob id molliori, & grandiori, vt in ouillo ſimiles ſunt grano tritici communis macerato. In grauidis verò corporis raritate foraminulenta ſimiles hæ cotyledones ſunt ſpongiæ candidæ tam magnæ in vaccino vtero, vt ſingulæ manum implere poſsint. Quibus ſolis, non etiam tunicæ vteri, chorion hæret firmiſsimè carnoſa quadam aſperitate lichenas ſordidos imitante, tam ampla, vt totam cotyledonem vnaqueque aſperitas vndique firmiter & contumaciter comprehendat. Vteri os non grauidis & grauidis tam eſt contractum, vt ne flatui quidem liber ſit à collo ingreſſus, aut ab vtero iam inflato egreſſus. Sectum autem id os valde eſt anfractuoſum, & velut grumis quibuſdam cartilaginoſis inæquale ac impeditum, à quibus via fit difficilior intranti aut exeunti materiæ. Intra vterum præterea parturientibus velut adeps largus os ipſum integit & munit. Cætera os vteri, quà ſcilicet vteri collo imminet, ad glandis virilis formam accedit. Teſtes geminos habet ſubrotundos mucroni cornuum propinquos, in quos vaſa ſpermatica feruntur, ſed à teſtibus vaſa ſemen deferentia, in cornua varicosè, vt dixi, ac ambagiosè deducuntur. A fundo vteri ad pudendum eſt longitudo in non grauida quidem vacca ſeſquipedis, in grauida autem duorum pedum, & amplior. Situs eſt vterus inter veſicam & rectum inteſtinum, annectitur autem ilibus & vicinis partibus alijs per ligamenta multa & magna ex peritonæi tunica ferè prodeuntia, ſed maxima & potentiſsima ad lumbos, & os ſacrum, & inteſtinum rectum. Vteri vaccini natura ſic habet ſua ſubſtantia, & accidentibus hãc neceſſariò ſequentibus: muliebris verò vteri natura habet vt ſequitur. Mulieris non grauidæ vterus, Canonicorum epomidas (hi almuſſas vocant) multùm repræſentat, fundo præſertim habẽte cornua duo breuiſſima, mammarum papillis breuibus ſimilia, vtrinq; emicãtia

Digitized by Google

tia, cum teſtibus continua per porum ſpermaticum. Quorum quidem cornuum ligamentis tectorum, nulla in ipſo fundo foris circunſcriptio manifeſtè apparet, cum in alijs animalibus vtero cum muliere conuenientibus, velut radices quædam cornuum ad vſque propemodum vteri os cernantur. Intra vterum cauitas quædam apparet qualis in veſica eſt, hoc eſt rotunda, nuſquam occupata, nec medio vteri fundo in cauitatē ipſam inuerſo phialarum vitrearum modo, niſi quibuſdam id aliquando accidat ob mollitiem partis, & longam ſtationem, quòd ea fundi pars ligamentis non fulciatur. Ipſa tamen fundi rotunditas vtrinque vitiatur exiguis corniculorum cauitatibus, in quas teſtes ſemen muliebre excernunt per porum ſpermaticum. Grauidis omnia ſunt eadem, niſi quòd quantum in dies vteri & cornuum cauitas in longum, latum, profundum ipſi embryo ampliatur, tantum tunicarum vteri ambarum craſſities tenuatur & minuitur. Vteri os & collum & colli os habent, vti à Galeno graphicè deſcribuntur. Venæ item ac arteriæ & nerui & membranæ, & ligamenta, & ſiqua alia ad vteri naturam pertinent. De quibus omnibus iam Galeni verba audiamus, vt rectè iudicemus vterum muliebrem à Galeno libris ſuis omnibus deſcriptum fuiſſe, non vaccinum, aut alium huic ſimilem, vt falſiſsimè, ſed ſine vlla probatione, pronunciauit calumniator. Vteri compoſitio, magnitudo, forma, ſitus, connexio, contactus, dicentur nobis. Vterus conſtat tunicis duabus, interna propria, & eadem venoſa magis: ſed duabus dimidijs compoſitæ cohærentibus quidem & ſibi adiacentibus, non connatis autem, nec vnitis, vt duo vteri, ſed dimidiati poſsint videri. Immo vteros duos in vnum collum deſinentes mulieribus factos eſſe ſcribit libro decimoquarto vſus partium: & ſæpe idem vteros, & ſinus vteri, numero multitudinis appellat, non quòd ſinus duos in muliebri vtero diſtinctos eſſe velit, vt plures ſunt diſtincti in animalibus polytocis, vt pòſt in vteri figura audies. Membrana à peritonæo extrinſecus propriæ vteri tunicæ circundata, & villis quibuſdam implexa, vtroſque vteros in idem coniungit, & tegit, & cum vicinis corporibus alligat. Eadem neruoſa, craſſa, ſim-

Libro de anat. vteri.

Libr. 14. de vſ. partium.

plex, nec dimidiata, vt interna, quæ intus præſertim ad fundum aſpera eſt. Harum tunicarum craſsities & magnitudo nunc augetur, nunc minuitur. Nam puellis paruæ ſunt, ac tenues, fluentibus iam menſibus maiores & craſſiores, deſitis iam tum menſibus tum conceptibus minores & tenuiores. Ad hæc cùm menſtrua purgatio inſtat, vterus planè craſſus & tumens eſt: cùm longè abeſt, tenuis & aridus. Præterea craſsiores membranæ mulieris quæ vtero geſsit: craſsiſsimæ eius quæ utero ſæpiſsime geſsit. Craſſus item uterus in principio conceptus, prope partū uerò amplior, ſed tenuior, craſsitie ſeu profunditate in longitudinem & latitudinem abſumpta, unde etiam eſt imbecillior. Tempore autem medio, pro ratione magnitudinis craſsitiem mutat. Magnitudo itaque uteri, ut craſsities multum uariat, non modò per ætatis, ſed etiam per menſium & conceptuum tempora & interualla, & abolitionem. Vterus enim longè minor eſt enixæ, quàm adhuc prægnantis & parturientis: his uerò quæ nondum conceperunt, multò minor. Vteri tamen longitudo moderata à fundo umbilicum ſpectante ad pudendum, ut plurimùm eſt digitorum undecim, latitudo autem ad ilia cornibus extenditur. Pudendum autem ipſum muliebre pelliculam quandam habet uirorum præputio reſpondentem, quæ nympha uocatur, quæ una eſt ex uteri partibus, & collum, os, latera, fundum. Quas partes communiter dictæ tunicæ conſtituunt, ſed uariè. Nam collum uteri eſt muſculoſum: ob id mollis & duri medium. pòſt carne paulò duriore, & ſubcartilaginea conſtat, quæ in dies durior & cartilaginoſior euadit: ita ut collum uteri uetulis, & his quæ ſæpe pepererunt, ſit aſperæ arteriæ ſimile. Hoc collum, & os uteri, grauidis arctiſsimè clauditur, & rugoſum, tortuoſum, obliquum fit: ſed menſium, coitus, partus tempore aperitur quantū opus eſt. Vteri figura toto corpore, ſed præcipue fundo, eſt veſicæ ſimilis: in lateribus autē differt per apophyſes quaſdā mamillares verſus ilia emicātes veſicæ negatas: quarū figuram Herophilus dimidij circuli reuolutioni comparat, Diocles verò cornibus exorientibus, vnde etiam cornua vocat: Endemus autem cirros, à cirris polyporum ſimilibus:

Ibidem. *Lib. de anat. vteri.* *Ibidem.*

militibus: ſed Praxagoras & Philotimus vocant κόλπους, id eſt ſinus: & ijdem vterum muliebrem δίκολπα, id eſt biſsinuatum, vt animalium polytocorum πολύκολπον, id eſt multiſinuatum. Sed horum vterus multos ſinus verè habet, mulieris autem vterus duos ſinus non habet, ob id non rectè biſsinuatus dicitur. Nam polytoca ſeu multipara in ſinibus ſuis fœtum gerunt, mulier autem & ſimilia vtero animalia, vt vacca, capra, cerua, ouis, in vteri cauitate, non in cornibus: nempe minoribus quàm vt fœtum continere poſsint. Tamen animalis partem in cornu altero, dextro quidem ſi mas eſt, ſiniſtro autem ſi fœmina, contineri in his brutis ſemper deprehendo, non tamen totum fœtum. Hic autem ſinus aliter accipitur quàm prius in vteri compoſitione, & quàm paſsim libro decimoquarto vſus partium, vt cum dicit, Homo geminus eſt dextris & ſiniſtris in toto corpore, & mammis, & vteri ſinibus, vno dextro, & altero ſiniſtro. Hic enim pro vteri dimidio ſumitur, non pro cornu. Vterus eſt ſitus inter veſicam & inteſtinum rectum, ita vt inteſtino recto propè toti incumbat: fundo autem ad vmbilicum tendente, fundum veſicæ excedat, colli autem fine & cunno à veſicæ collo excedatur: & multis ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum declinat, nunquam antrorſum, aut retrorſum. Vterus attingit, ſupra modum quidem paruus, ea tantùm quibus annectitur, mediocris autẽ etiam inteſtina tenuia: maximus verò (qualis parturientium) ilia & hypochondria implet, & multa inteſtina tangit: recto autem inteſtino villis tenuibus & membranis connectitur, & veſicæ, ſed huic pluribus: & oſsis ſacro & lumbis per firma vincula à neruis & muſculis harum partium prodeuntia. Omnia tamen hæc vteri vincula ſunt laxa, vt latè vterus moueri queat, & mutari ab amplitudine maxima in ſummam anguſtiam, & contrà pro dictis vſibus. Venis quoque & arterijs & neruis cum horum trium vaſorum trunco vterus connectitur. Venæ vteri & arteriæ quæ ſpermaticæ ſunt, oriuntur dextræ quidem à caua & aorta ſub renalibus, ſiniſtræ verò à latere inferno renalium in muliere, vt in viris ſua vaſa ſpermatica. Vnde opinor, hæc vaſa quatuor ſub renalibus ſita

Ibidem.

Ibidem.

Libr. 14. vſ. par.

Lib. de anat. vteri. ſcribit Galenus, non quòd ea quatuor à caua & aorta ſubrenalibus nata velit. Hæ venæ & arteriæ ramulum varicoſum teſtibus largitæ vterum intertexunt, & nutriunt: venę tamen arterijs multò ampliores: aliæ à ſacris venę & arterię in vterum aſcendunt, & in collum vteri & veſicæ deſcendunt. *Lib. de anat. vteri.* Veræ cotyledones Hippocrati & veteribus alijs ſunt fines dictorum nunc vaſorum ad vterum peruenientium, per quos ſanguis menſtruus vacuatur à toto corpore aut per vterum foras, aut in fœtum nutriendum tranſſumitur per vaſa alia inter chorij tunicas media, quorum orificijs ſolis chorion, & per chorion fœtus ipſe vtero adhæret. *Lib. de ſper.* Cùm enim vteri & chorij oſcula ſunt aperta, vterus per ipſa vaſa chorion apprehendit, vt polypi quæcunque attigerunt, comprehendunt ſuis cotyledonibus ſeu cauitatibus, quales ſunt in folio herbæ cotyledonis, vnde etiam idem nomen habent, ob figuræ ſcilicet ac vſus ſimilitudinem. *Lib. de anat. vteri.* Nonnulli tamen vterum muliebrem cotyledonibus carere dicunt, & eas reperiri in capris, ceruis, bobus, & alijs eiuſmodi brutis vnum párere ſolitis, ſimiles cotyledoni herbæ. *Apho. 45 libr. 5.* Sed Hippocrates, & paulò poſt eius ætatem Diocles & Praxagoras ſic vocant ora vaſorum vteri, quæ imprægnationis tempore quaſdam cotyledonum eminentias in medio leuiter cauatas habent innatas, quales eſſe ſolent hæmorrhoidibus inteſtini recti. Ab his enim viris tantis ignorata fuiſſe hæc ſentire nefas eſt, & nos contra ipſos Hippocratis & veterum in cotyledonibus mulierum reprehenſores, abundè ſcripſimus libro quinto anatomes Hippocratis. *Ibidem.* Ex his igitur vterum muliebrem cotyledones habere patet, & quęnam cotyledonum in muliere & brutis eſt differentia. Hæc Galenus. *Lib. de anat. vteri.* Teſtes muliebres lateribus vteri adiacent ad fundum prope cornua, vtrinque vnus, virili multò minor, minus rotundus, magis glanduloſus & durus, membrana propria quam dartan vocant, tectus. Erythroeide autem tunica & ſcroto caret: ſcroto tamen ſimile corpus vteri facit Galenus libr. 14. vſ. partium. Semen in his parcius, frigidius, humidius. In hos vaſa ſpermatica vt in viriles diſtribuuntur: & ab his teſtibus pori ſpermatici varicoſè ferũtur in vteri cornua, vt viris in proſtatas veſicę collum

collum incipientes glandulas: ſed in muliere initio lati: deinde vbi paulùm à teſtibus receſſerunt, anguſti, & propè inuij: poſtremò prope cornua per quę vterum intrant, rurſus laxantur. Hæc Galenus de vteri muliebris natura ſcribit libro de vſu partium 14.& 15. libro de anatome vteri, & de ſpermate. Aequitatem cauſæ Galenicæ, & iudicij integritatem vobis commendo, lectores candidi, vt perſpecta vteri brutalis & muliebris natura, vtri eorum Galeni ſcripta conueniant, expendatis. Vt enim donemus hos vteros quadantenus ſimiles ſubſtantia, & partibus annexis, & ob id loca quędã Galeni vtero vtrique accommodari poſſe, vt de homine ſcripta, ſimiæ adhiberi poſſunt, & de ſimia ſcripta homini: tamen plurima ſunt quæ propriã vteri muliebris hiſtoriam, non brutalis, à Galeno ſcriptam apertè conuincant. In primis vteri muliebris mentio in libris dictis perfrequens. Deinde vteri figura veſicæ perſimilis, cũ brutis vtero ſimilibus ſit multum diſsimilis, vt ſpectanti vtrunque & tangenti apparet clarius quàm vt multis ſit explicandum. Tertio loco cornuum breuitas in muliebri vtero cornibus animalium exorientibus ſimilis, aut mammarum papillis cum in his brutis longiſsima ſint, nec ſolùm hircorũ modo reciproca, ſed etiam ad vterum propè totum pertinentia, & ipſum in duo manifeſtè diſtinguentia, & vteri fundum occupantia etiam nõ prægnante animali. Quę cornua dicuntur, quòd cornibus exorientibus ſint ſimilia, vt comparauit Diocles, non autem cum calumniatore Herophilus, vt prius docuimus. Quarto loco cotyledones vteri muliebris tam obſcuræ, vt viſum effugiant, & ratione propemodũ magis quàm ſenſu vſurpentur. Quanquam in muliere parturiente aut recèns enixa apertè ſpectentur hæc ora vaſorum, præcipuè venarum, cum hæ ſint arterijs multò ampliores, ſi inanitæ inflentur. Ea enim ora aſpera & eminentia ſpectantur, qualia in cute hominis perfrigerati. Immo cùm chorion à propria vteri tunica clementer digitis diducitur, ſanie quadam & pauco ſanguine fluere ea videbis. Quòd ſi vterum quoque inuerſum poſt hanc ſeparationem inflaueris, foramine per quod fœtum extraxeris, probè ligato, ea etiam apertè videbis, ſi recèns mortua

eſt mulier, vt caleat adhuc vterus, quomodo chorion inflatum ora ſimilia profert manifeſta in ſue, & granis ſalis ſimilia, aſpera etiam citra inflationem, quæ etiam cotyledones vocari poſſunt, non ea ſola quæ in vterum pertinent. Nam amborum vaſorum ora in muliere ſunt æqualia, & ſimilia. Non debuit igitur calumniator tam temerè falſum illud dilemma pronunciare, ſcriptā ſcilicet à Galeno bruti vteri non muliebris anatomen, ſine vlla tamen probatione. Rectius aūt, cùm vteri bruti & muliebres ſint quadantenus ſimiles, quadātenus diſsimiles, diſsimilitudinē brutalis à muliebri explicaſſet, & hanc diſsimilitudinem Galenum malè ſequutū fuiſſe ac interpretatum libris iam cōmemoratis, præcipuè in vteri anatome, & libro 14. & 15. vſus partium. Nā libris de ſpermate anatomen vteri, quod ſciam, non deſcribit ſed cap. 12. libri ſecundi partes vteri & eius colli cum viri partibus genitiuis comparat, recenſetque magis quàm eas ad viuum explicet. Quòd ſi hanc diſsimilitudinem calumniator in diuiſione media tunicæ vteri propriæ conſtituit, quæ non in muliebri vtero vt in bruto appareat, experientiæ & ſibi ipſe repugnat. Nam muliebrem vterum in dextrum & ſiniſtrum diuidi ſcribit, linea quadam obſcura ſuturam ſcroti virilis (cui etiam Galenus vterum comparat libro 14. vſus partium) nonnihil imitante. Præterea fundo introrſum euerſo, vt in phialis vitreis apparet (quod tamē falſum eſſe priora demonſtrant) diuidi in dextrum & ſiniſtrum addit. Deinde & vaſa dextra dextro vtero, ſiniſtra ſiniſtro tantùm diſtribui, quorum fines tamen miſceri ſcribit Galenus. Expertus autem eam diuiſionem ſemper eſt Galenus & nos in vtero recèns fœtæ mulieris aut parturientis per tubulum vehementer inflato poſt ablatam exteriorem tunicam. Vbi autem craſsiſsima eſt tunica hæc, etiā coactus vterus diuiſionem habet obſcuram villis multum in omnem partem contractis & implexis. Quòd ſi diſsimilitudinem in cornibus collocat: eorum paruitas vtero muliebri propria à Galeno ſcripta in vtero muliebri apertè calumniatorem conuincit. Si in cotyledonibus, multò apertius calumnia eius apparet, cùm hæ in vaccino vtero tam ſint magnæ etiam non prægnante animali, in muliebri tam paruæ,

aruæ, etiam parturiente muliere, vt vix appareant, & ob
d à quibuſdam, vti & à calumniatore, illi negatæ. Neque
nim eas cotyledonas in muliere ſemper apparere voluerunt Hippocrates & Galenus, ſed cùm vtero gerit, præſertim dum parturit aut parit mulier, aut etiam dum menſes
luunt, cùm vtero bruto ſemper adſint etiam non prægnante animali, quanquam multò minores quàm prægnante &
arturiente. His autem cotyledonibus muliebribus ora va
orum ſimiliter aperiuntur in os & ventriculum & inteſtina
er quandam ſanguinis calentis ebullitionem, & in lingua
ræſertim puerorum per æſtus aut febres & in cute eorundem dum per æſtatem ab æſtu aut veſtium copia immoderatius calent. Quid igitur ſtatuitis iudices æquiſsimi dè falſiſsima iſta calumniatoris impij accuſatione? Mihi videor
os cernere hanc calumniam, vti & alias omnes, animo planè iniquo ferre, & pœnam his moribus improbis & reipublicæ pernicioſiſsimis debitam parare, ne cui præceptorem
alſi accuſare, & ſumma cum impietate traducere, illique
rope in omnibus nulla ratione obſtrepere, impune liceat.
gnoranter quoque ac falsò calumniator meatum mulieris
rinarium in colli vteri ceſſare cauitatem, vbi primùm ſub
ſſe pubis conueniunt, ſcribit in anatome veſicæ, & pris pingit & ſcribit veſicæ colli partem in vteri ceruicem
nſeri, & lotium in eam ceruicem proijcere. Nam vt
eſica tota toto propè vterò eſt ſuperior ſupino corpore,
c meatus vrinarius totus, collo vteri toto, & in cunno ipo os meatus vrinarij eſt ore colli vteri ſuperius. Id quod
tiam ante anatomen apparet. Sed ignorantia longè maxia calumniatoris in membranis fœtum ambientibus tibi,
andide lector, eſt commonſtranda, vt intelligas Galenum
b eo iniquiſsimè taxari, cùm ſolus calumniator ſit in craſſiſsima harum partium & aliarum propè omnium ignoraone: Galenus autem ſolus omnia hæc & quæcunque alia
ripſit, verè, apertè, eleganter tradiderit: vt certiſsimè intelligas calumniatorem ex præceptoris planè diuini ignominia nomen ſuum reddere clarum conari, exemplo eius
ui Philippum Macedonum regem occidit, & eius qui
emplum Dianæ Epheſiæ incendit, vt ſcilicet nomen ſuum
apud

apud poſteros quouis modo memorabile redderent. Quaſi hodie ingenia video non pauca, dijs illa aduerſis genita, fatoque ſiniſtro. Ad membranas fœtum ambientes calumniatori omnino ignoratas, & tamen in his Galenum iniquiſsimè accuſanti, orationem conuerto. Chorion extima fœtus membrana ex ſemine tum virili tum muliebri conflata, toti internæ vteri & cornuum eius ſuperficiei ſubtenditur, & omnibus vteri & cornuum cotyledonibus adhæret, alicubi etiam ipſi vtero inter cotyledonas, ſed leuiter. Eadem membrana cum fœtu augetur, cùm vteroque extenditur, ac fœtum totum inuoluit etiam quà os eſt vteri, vt Galenus probat libro de anatome vteri, de fœtus formatione, de ſemine, libro decimoquinto vſus partium. Id quod in omnibus fœtibus in vtero mortuis nec abhortitis, ſemper veriſsimum obſeruaui, non in muliere tantùm, ſed etiam in boue, oue, ſue, cane, & alijs. Quòd ſi chorion facit ſemen virile quà vteri ſuperficiē ſubungit totā, & muliebre quà id cornua ſubungit, tota hæc tunica omnino fœtū totū ambit. Calumniator autem neſcio quibus ſpectris deluſus, aut fortaſſe eo chorij habitu qui à partu apparet, negat totum ambire fœtum, ſed tantùm à xiphoeide ad ilia, quomodo (inquit) circulus ligneus latus vaſa vinaria circundat. clarius faſciæ amplæ modo dixiſſet. In muliere enim & vacca & oue & ſimilibus vidi ſemper chorion totum toti internę vteri ſuperficiei contiguum, vndique fœtum ambire totum. Id quod in ſue & cane etiam verum eſt, quanquam in his polytocis fœtus omnes vnicum chorion, & vnica amnios ambire aſpectu primo videtur: ſed ſi manu blanda chorion ab amnio ſepares, aut ipſum amnion inſles colligato aut compreſſo ipſius & chorii foramine, inuenies ſingulos fœtus ſingulis his tunicis vndiq; ambiri, præterquam quòd ad fines hæ tunicæ in his leuiter & inæqualiter cohærent. Quòd porrò chorion mulieris enixæ ſolum viderit calumniator, hinc etiam apparet, quòd ipſi tempore partus craſsitiem det pollicarem, cùm re uera conſtet membranis duabus chorion, inter quas vaſa feruntur, quarum interna ſit tenuiſsima, externa aliquantò craſsior, ſed mollior, & cruentatæ papyro bibulæ craſsitie, mollitie, colo-

Libr. de ſpermate.

Ibidem.

re ſubſimilis. Non ergo craſsitiem pollicarẽ habet chorion tempore partus, quo eſt tenuiſsimum, & ne vnguis quidem craſsitiẽ attingit. Rectè igitur de chorio ſcripſit Galenus, malè de chorio ſenſit calumniator, & in eo nunquam viſo Galenum iniquiſsimè reprehendit, vt planè deprehendes ſi ex vtero mortuæ mulieris fœtum ita eximas: Vteri tunicas digitis duobus comprehenſas ſeces ad vſque chorion: ſed exiguo foramine, per quod tubo calami vel alio immiſſo leniter infles. ſic enim vterus à chorio parum ſecedet, chorionque facilius ab vtero ſeparabis. Id autem prius in boue aut oue explorandum cenſeo dum grauidæ mactantur: ſic namque inſtructior ad fœtum muliebrem accedes. Quod ſtudium in alijs quoque fœtus membranis vt ſequaris hortor, exercitatione ſcilicet multa prius in dictis animalibus obita: quam exercitationem in ſimijs, nempe homini magis ſimilibus animalibus, libris aliquot anatomicis Galenus inculcat. In his enim omnibus, tunicis vteri ablatis, cernes chorion papyro bibulæ ſubſimile, totũ vndiq; fœtũ inuolue re, & chorion ab amnio vbi molliter ſecreueris, amnio quoque totum fœtum ambiri ſpectabis. Allantoeides ſecundũ fœtus inuolucrum malè Galeno cognitum aſſerit calumniator: cuius arrogans ignorantia cum perfecta Galeni ſcientia eſt committenda, vt lectori appareat clarius audax hæc ac petulans temeritas. Allantoeides membrana dicitur (inquit calumniator) quia inteſtino craſſo vtrinque conſuto, & alijs carnibus farto ſimilis eſt, chorio toti, non tamen tota pertinaciter connaſcitur. Quantum autem eius chorio non connaſcitur, vterum attingit, non tamen illi connaſcitur. Interna eius ſuperficies læuis, & humecta, nulli connata, niſi quòd minima ſui portione tertio & primo inuolucro (id eſt amnio & chorio) hæret, interuentu tamen vaſorum maximorum ad umbilicum tendentium. Inter ſecundum hoc inuolucrum, & tertium ſeu amnion fœtus urina colligitur. Hoc inuolucrum ambire totum fœtum Galenus negat, ſed tantùm clunibus & extremis partibus inſidere ſcribit, cùm tamen ſumpto fœtu quouis, & in omnem partem manibus uerſato, vrinam eum totum circũcurrere conſpecturus ſis: nec id inuolucrum cum Gale-

no eſt chorion. Hæc calumniator: quæ paucisſimæ huius lineæ quàm multis & fœdis erroribus ſcateant (id quod illi eſt familiare) paucis, lectores candidi, audiatis, vt quid de eius ignorantia & arrogantia ſentiendum ſit, intelligatis, & allantoeidem tunicam illi nunquam viſam nec cognitam certiſsimè perſpiciatis: & à malo quodam genio hanc allantoeidis explicationem illi opinor ſomnianti in mentē fuiſſe immiſſam. Quæ vt facilius refutetis, natiuam & veram allantoeidis hiſtoriam partim ex Galeno, partim ex noſtra multiplici experientia antè dicemus. Allantoeides membrana cum Galeno dicitur quòd ſit ἀλλαντι, id eſt farcimini ſeu inteſtino cuidam craſſo ſimilis, vtrinque contracto paulatim, donec in acutum mucronem deſinat, non conſuto, cum calumniatore, nec alijs carnibus farto, cùm inteſtinū ipſum caro non ſit, nec plena allantoeides, immo ſemper inanis quà amnio inhæret, niſi ſiquando magna vrinæ copia ſuperueniat, quæ veluti cornib. allantoeidis iam repletis, in ipſius quoq; partem ampliorem, ſed inter chorion & amnion velut compreſſam, aut regurgitet, aut primum feratur. Nam in hanc eius partem ampliorem inſeritur vrachus vrinæ fœtus via, qui in allantoeidem tunicam degenerat. Cùm igitur talis ſit allantoeides quales piſcium quorundam vtriculi natatorij, ſi horum cauitatem continuam intelligas, & ſit corpore fœtus multò minor, etiam inflata maximè, quomodo fœtum totum inuoluet? Eſt enim inter chorion & amnion media, vtrique adhærens, amnion autem non ambiens, nec tota à chorio ambita: ergo nec fœtum, ſed tantùm eius amnij ſuperficiei externæ, chorij internæ partem minimam attingens, qualiter ſi inteſtinum ſeſquipedem longum vtrinque ligatum, & aqua ſemiplenum geſtes inter duo induſia, vtrique ſcilicet, vno lateri vni, alteri altero alligatum. Rectè igitur Galenus negat allantoeide totum ambire fœtum, & eius partibus quibuſdam ſublimibus incumbere, ſed intercedente ſemper amnio, & ſudore, vt ſcribit Galenus. Allantoeides ἀλλαντι ſimilis, tenuis & infirma, amnio prior genita ex ſeroſiore & muliebri ſemine, anguſtior autem quàm vt totum fœtum integere poſsit. Latior autem non eſt facta: quia ſemen muliebre eſt parcius quàm virile;

rile: ob id non potuit ampla ſimul & lóga fieri allãtoeides: ſed lóga neceſſariò eſt (ad vtrũque.n.cornu peruenit) & ſtricta. Humorẽ verò vrinæ reſpondentẽ, flauum, tenuem, acrem adeò, vt ſecantiũ allantoeide, olfactum feriat, & horrorem illis excitet, longius à fœtu in allantoeide membranam natura abduxit. Quòd ſi talis eſt allãtoeides membrana, vt re uera talis eſſe tibi poſtea monſtrabitur, non poteſt allantoeides chorio toti, non tamen tota connaſci. Nã chorij latitudinẽ duorũ tantùm digitorum attingit dimidio ſui, altero dimidio æqualem amnij partem. Ad hæc cùm ſit contenta in chorio, vt vult calumniator, quomodo toti chorio connaſcitur, ſed non tota? niſi cõfingas rugoſam eſſe, & rugarum cauitate non connaſci. At ſi toti chorio cõnaſcitur, ei erit æqualis, aut etiam maior: quia non tota connaſcitur per te, in rugarum. ſ. ſi vis, cauitate. Præterea falſiſsimũ eſt ꝙ vterum attingat. Nam tota eius cornua etiam chorio veſtiuntur: reliquum eius corpus rotundum, vt cornua, inter chorion & amnion eſt alligatum. Nulli connata præterquam minima ſui portione chorio & amnio, malè à calumniatore ſcribitur: imò maxima & ampliſsima ſui portione his duabus membranis alligatur, non vaſorum interuentu ſolo, ſed mẽbrana tenui & firma quæ ipſius eſt altera. Nam duabus membranis conſtat etiam Galeno allantoeides. Falſiſsimũ præterea quòd fœtus vrina inter allantoeide & chorion colligatur. ſi enim allantoeides toti chorio pertinaciter connaſcitur, vt ſomniat calumniator, quo vrina loco recipietur? Ad hæc cùm vrachus degeneret in allantoeide, & amborũ cõtinua ſit cauitas, quomodò extra allantoeide vrina feretur? Sed putauit falsò allantoeide totum ambire fœtum vt amnion. Nam chorion ambire fœtum totum prius negauit. Quod autem fœtu in omnem partem verſato humidum apparet, non vrina eſt, vt falsò putauit calumniator, ſed ſudor: & tunica quæ hunc humorem continet, amnios eſt, non allantoeides. Quæ vera naturæ hiſtoria calumniatorem ita conturbauit, vt quæ falſiſsima ſcripſit, etiam nũc retractet in ſententiam multò falſiorem, & neget omnino aliquam eſſe allãtoeidem: vt mihi ex ipſo paucis antè diebus auditũ renunciauit doctus medicinæ Sanctãgelus Hiſpanus.

Quid

Quid enim faciat, cùm nihil aliud quærat, quàm præceptori & naturæ obſtrepere? Iam partem tanti momenti à natura factam pernegat. Sed ſi lotium quærit, multo certè parcius quàm vrina ſit, in allantoeide inueniet, non tota, ſed præcipuè quà vteri cornua tangit. Sed agite alia omnino abſurdiſsima illius placitis neceſſariò ſuccedentia expendamus. Si chorion non ambit totum fœtum, ſed tantùm à xiphoeide ad ilia, allantoeides verò fœtum ambit totum, & inter has tunicas duas, eius ſententia, certè falſiſsima, lotium recipitur, quomodo non effluit quà definit chorion, & uterum tangit, & acrimonia lędit? Quòd ſi dicat calumniator chorion quà definit utrinque, adſtringi & vniri cum allantoeide, ita vt nihil vrinæ poſsit extra chorion effluere, & vteri tunicam attingere, ergo reliqua pars allantoeidis per eũ vtero contigua, erit fruſtra à natura facta. Ad hęc ſi lotiũ inter chorion & allantoeidẽ continetur, ſpectari nõ poteſt, cũ chorion ſit externa tunica, opacũ vt dixi, nõ diaphanes: & rupto chorio (quod propter mollitiẽ illi eſt prõptũ) lotiũ efflueret: ſed nihil omnino effluit rupto chorio: ergo falſum eſt vrinã inter chorion & allantoeidẽ contineri. Sed ſui immemor poſtea vrinam inter fœtum & amnion contineri ſcribit, cum verſato fœtu in omnem partem, vrinam dicit calumniator circuncurrere. Id verò eſt non vrina, ſed ſudor, qui plurimo largior eſt quàm lotium, quòd à fœtu calido humido plurimùm continenter exhalet atque euaporet: quod amnij & aliarum membranarum frigidiorum contactu in humorem redit. Calumniatori verò impoſuit, quòd allantoeidem totum ambire fœtum putauit, ob id & vrinam allantoeide contentam debere toti fœtui circumfluere. Sed ſi vel Galenum intellexiſſet, aut rem ipſam diligentius conſideraſſet, id amnij & ſudoris eſſe deprehendiſſet, quod malè allantoeidi & vrinæ tribuit. Ea enim vrina allantoeidis cornibus in cornua vteri ſubeuntibus & vicinis partibus allantoeidis continetur, non parte allantoeidis latiore comprehenſa inter chorion & amnion, ne pars ea lotio plena premeret chorion & vterum foris, intus autem amnion & fœtum. Calumniator autem allantoeidem iam facit tunicam amnio ſimilem, dum eam fœtum ambire

Digitized by Google

ambire totum ſcribit, non autem amplius allanti ſeu inteſtino craſſo:aut verius amnion iam pro allantoide vſurpat, & ſudorem pro vrina. Galenus aũt nuſquam allãtoidẽ cum amnio vel chorio confudit, vt eam chorion putaret, quod etiam illi iniquè affingit calumniator. Quæ igitur de allantoide à Galeno ſcripta ſunt, veriſsima ſunt omnia: quæ à calumniatore ficta ſunt (ficta ſunt autem omnia de his membranis ab eo ſcripta) omnino falſiſsima ſunt, & quę allantoidem ipſi nunquam ne per ſomnium quidem viſam demonſtrent. Vt autẽ ignorantię tenebras oculis & mente aliquando excutiat, iam ex nobis diſcat rationem inquirendi & inueniendi allantoidem: vt dum viſui & tactui ſuo fidem fecerit, Galenum laudet veritatis authorem, & culpam agnoſcat ſuam. Ablato igitur chorio, totum quod ſpectas, eſt amnios, præterquam quòd alteri eius lateri incũbit allantoides albior, & anguſta quidem, vt duos aut tres circitèr digitos lata, ſed tamen ibi quàm reliquis ſuis partibus latior, vt ſua latitudine capaci inter amnion & chorion effuſa redimat profunditatem in quam attolli non poteſt, niſi magna lotij copia vrgeatur: quia inter duas mẽbranas dictas coërcetur, propter cauſam à nobis prius explicatam. Qua autem parte allantoides amnio incumbit, craſsior ibi & albior apparet, amnios propter allantoidem illi incumbentem, & firmiter connexam, cùm à chorio tã facilè ſeparetur quàm amnios. Allantoidem verò ſic ſeparabis: Diducto digitis & ablato chorio, totum quod in cornibus eſt, allantoides eſt. Hanc vtrinque ad cornua pertunde, & vrinam totam (non enim admodum multa eſt) emitte, mox per tubum calami aut per cathetera vtrinque inſla, & liga: ſic totam allantoidem velut inteſtinum aliquod vento plenum ſpectabis firmiter vna ſua tunica amnio alligatam, qua rupta allantoidem totam & ſolam habes. Potes etiam effuſa per vrachum in ſectam fœtus veſicam vrina & vacuata, per vrachum allantoidem inflare, vt eius totam circunſcriptionem cognoſcas, & vrachum in eam degenerare, inſeri verò in eam non omnino mediam, ſed alterum ceu cornu allantoidis ab vrachi inſertione multo eſſe longius. Hæc cùm ſpectabit lector, riſu effuſo craſſiſsi-

ſiſsimam calumniatoris ignorantiam proſequetur, Galeni verò anatomicã veritatem laudibus ſummis extollet. Habeo in eum finem domi allantoeides inflatas quaſdam ſecretas, aliàs adhuc amnio connexas etiam inflato. Quæ res circulorum duorum, magni vnius, & minimi alterius, ſibi inuicem incumbentium, ſic tamen nuſquam interſecantium aut includentium imaginem repræſentat. Quod ſpectaculũ eſt viſu iucundiſsimum, & præterea cognitu vtiliſsimum: vt Galenum vbique verum lector pius & ſtudioſus agnoſcat, calumniatorem verò nugiuendum & mendaciloquum diris omnibus, vti dignus eſt, & cimmerijs tenebris deuoueat. Talis quoque quodammodo eſt allantoeides in polytocis fœtibus ſingulis ſua, ſed extremis finibus duæ ſibi vicinæ implicantur graciléſcentibus & nonnihil muccoſis, ac veluti verrucoſis, qualis materia finem allantoeidis in muliere & ſimilibus vtero animalibus cum intimo vteri cornu committit. Calumniatoris mendacijs circa chorion & allantoeidem apertè intellectis, iam audiatis non minorem hominis arrogantiam & ignorantiam in amnio tertia fœtus tunica: de qua ſic deblaterauit. Tertium fœtus inuolucrum, amnios dictum, allantoeidi forma ſimile, ſed minus amplum, & omnium corporis membranarum tenuiſsimum, nulli connexum niſi allantoeidi, & fœtus vmbilico per ſolas venas & arterias à chorio in fœtus vmbilicum adeuntes. Hæc pauca calumniatoris verba mendaciorum plena ſunt. Nam ſi allanti ſeu inteſtino craſſo vtrinque ligato aut conſuto, & carnibus alijs farto (ſic enim antea dixit etiam relationum grammaticarum imperitus) ſimilis eſt allantoeides, forma ſcilicet, & allantoeidi amnios forma ſimilis eſt, amnios etiam inteſtino craſſo &c. ſimilis erit. quod eſt falſiſsimum. Nam amnios ſimilis eſt forma chorio, & ei vbique connexa, præterquàm vbi allantoeides intercedit. Minus amplam amnion quàm allantoeidem eſſe, etiam falſiſsimum eſt. Nam amnios fœtum totum, & præter eum, ſudorem largiſsimum continet. Allantoeides verò ceu ſacculus quidam membranaceus longus, ſed gracilis, & partum latus, amnio annexus, nihil continet niſi paucum lotium, & id ferè in cornibus

nibus extremis. Sed velit nolit, allantoeidem pro amnio vſurpat & confundit, ignarus quid in re incognita ſibi ſtatuendum ſit. Neque amnios eſt membranarum omnium corporis, immo ne fœtus quidem, tenuiſsima, ſed multò craſsior allantoeide, vt mox ex Galeno diſces, & experientia comprobabis. Nulli connexum niſi allantoeidi, etiã falſiſsimum: nam toti chorio annexa eſt amnios tota, preterquam quà intercedit allantoeides longa anguſta. Galeni verba potius audiamus libris iam commemoratis,& ea cum libro naturæ, ſeu hiſtoria fœtus mẽbranarum conferamus, & vera tanquam ex tripode dicta omnino iudicabimus, & falſiſsimam calumniatoris reprehenſionem & ſententiam. Membrana amnios toti fœtui vndique circumiecta, tenuis quidem, ſed craſsior & robuſtior allantoeide, vt fœtus motibus reſiſteret, & humorem ſudori reſpondentem contineret, album, non fœtentem, & tam blandum, vt fœtus cutim quam continenter tangit, non lædat: quia tamen copioſior etiam triplo quàm vrina eſt, rumpere amnion ante iuſtũ pariendi tempus poſſet copia ipſum diſtendens. Quæ duo excrementa, ſudor & vrina, quia primis generationis diebus non gignuntur, neutra ob id dictarum membranarũ tunc eſt neceſſaria. Hæc Galeni verba cum amnio & ſudore confer, & veriſsima deprehendes, neque, vt calumniator, amnion cũ allantoeide & verbis & re ipſa confundes, quod idem facit in anatome veſicæ. Illic enim etiam allantoeidẽ facit intimam fœtus membranam, quæ re uera eſt amnios. Quòd ſi inter allantoeidem & chorion vrina continetur, vt falsò affirmat, vbi continebitur ſudor? an inter allantoeidem & amnion? Ibi enim locus erat vacuus, ſi ambæ hæ tunicæ fœtum ambiunt, & allantoeides ceu continens maior eſt amnío tanquam contento. Sed ſudor, vt dixi, inter amnion & fœtum continetur Galeni ſententia naturæ hiſtoriam demonſtrante. Amnion autem ſic ſpectabis. E regione capitis fœtus eam pertunde, ſudorem totum emitte, deinde fœtũ: mox vaſa vmbilica ligabis prope amnion, & ſecabis prope fœtum. Poſtremò rimam in amnio pertuſo factam digitis adduces ita, vt tubulum vndique conſtringat, per quem vbi inflaueris, omnino amnium liga firmi-

ter ſub digitis eius qui conſtrinxit, & ſicca. Potes etiam nō amnion ſolùm, ſed(vt dixi)allantoeidem quoque inflare, & ſimul connexas membranas ſiccare & ſeruare, vt ceruicibus duris teſtimonia naturæ in multum tempus ad manum adſint naturalia, & certiſsima. Quę omnia de tribus fœtus inuolucris dicta, iam anacephalæoſi breuiter colligamus. Chorion ergo ex ſemine virili factum eſt, quà tangit totā vteri ſuperficiē internam: quà autem vteri cornua ex muliebri. Totum itaque vterum & cornua attingit, & totum fœtum inuoluit,& eum vtero per cotyledonas alligat, prohibetque vterum ab vrina & ſudore attingi & offendi, ſed eo magis allantoeides & amnios. Duabus autem membranis conſtat, inter quas vaſa ad fœtus vmbilicum feruntur. Allantoeides duabus quoque membranis conſtat, & his tenuiſsimis. Figura eius eſt cuidam membranaceæ arcuum thecæ ſimilis, quæ ſcilicet in medio eſt latior, ad fines verò vbi cornua ſunt arcuū, anguſtior. Non longe eſt à medio vrachus, ex quo dilatato efficitur allantoeides vrinam recipiēs. Media autem parte latiore amnio incumbit, & alligatur, & eiuſdem partis mediæ oppoſito latere à chorio continetur. Extrema verò & velut cornua ab amnio libera, ſolum chorion tota ambit. Fœtus tantummodo latus alterum, & eius præcipuè partes altas attingit, ſed intercedente amnio, & ſudore. Amnios autem chorio nudata cum ſudore effuſa lateſcit, & partes fœtus altas & humore deorſum ruente non merſas tangit, & per amnion allantoeides, fœtu ſcilicet cum matre ſitum aliquem quietum ſeruante. Nam in viuis ambobus certum eſt allantoeidem à fœtu partibus etiam altis longius abſcedere, ſi largus ſudor interceſſerit. Fœtus enim per ſola vaſa vmbilica & vrachum quia chorio, allantoeidi, & amnio alligatur: cætera liber, velut in ſudore innatat, nulli eorum parti alligatus, variam partium figuram induit, per quam ſudoris & amnij etiam ſitus variant. Amnios figura multùm ab allantoeide diuerſa fœtum totum ambit, vt halicacabi veſica ſuam baccam. Multò quoque eſt amplior allantoeide, qua non circuncluditur, ſed tantùm portione parua eius contegitur, eique alligatur firmiter per membranam allantoeidis externam. Reliqua

ſuperficiē

ſuperficie tota externa, amnios à chorio continetur, eique alligatur, ſed tam leuiter, vt digitis blandè diduci queat. An vobis hæc non ſatis ſunt lectores ac iudices æquiſsimi, vt calumniatorem falſi & ſummæ ignorantiæ damnetis, Galenum veraciſsimum abſoluatis ab omnibus hiſce calumnijs, & gloria ſumma digniſsimum iudicetis? Sed quæ pauca ſuperſunt pro ordine propoſito in thorace & cerebro, paucis addamus, & colophonem mox his calumniarum depulſionibus addemus. In thoracis partibus internis calumniator cum Galeno conſentit: ab eo optima quæque ſuffuratus, in azygo diſſentit, vt in venis diximus, & in tertio pulmonis dextri lobo, qui in homine ſternum habente oſſibus ſeptem conflatum, & ob id ſortito thoracem longiorem eſt omnino neceſſarius, vt venam cauam longo ad cor ſpacio conuehendam ceu culcitra fulciat, colliget, muniat. Quibus verò noſtris hominibus ob naturæ imbecillitatem thorax eſt breuior, cor hepati vicinum eſt adeò, vt pericardios tunica hepar tactura eſſet, niſi diaphragma intercederet. Imò bona pars cauitatis tunicæ pericardij in diaphragma incidit, & cordis propè dimidium in multis hominibus ſternum perbreue habentibus, ipſi diaphragmatis ſiniſtræ parti inſidet ac velut innatat. Ob hæc lobo dexter pulmo tertio nihil opus habuit, quòd caua per diaphragma mox in cauitatem pericardij aſcendat, & ab ea in propinquam cordis auriculam dextram, nec pulmones dextros vllo modo attingat. Cùm igitur tam breuis via hodie ſit cauæ à gibba hepatis ad cordis ventriculum dextrum aſcendenti, & pericardio vehatur, vetere illo adminiculo non indiguit lobo dextri pulmonis tertio, qui in ſimijs & canibus & alijs longum ſternum & thoracem ſortitis etiam hodie perſeuerat qualis Galeno ſemper eſt viſus in hominibus, & ante Galenum Rufo Epheſio, ſcribenti duos eſſe pulmonis lobos in dextris, & totidem in ſiniſtris, confeſſum eſſe ab omnibus. Quintum verò paruum præterea eſſe in dextro thorace nō omnibus confeſſum, ſed his tantùm qui corpora diligenter diſſecant, & poſt hos Nicolao Maſſæ in Venetis, & Mundino in ſuæ tempeſtatis hominibus, vt in ſuis ſectionis ambo docuerunt, & ſe ſemper obſeruaſſe teſtati fuere. Cerebri

meningem craſſam inter cerebra tum dextrum & ſiniſtrum tum poſticum duplatam, & venam præterea per foramen paris ſexti ingreſſam retinere ſuam tunicam frequenter ſecando exploraui. Quæ experientia facit, vt Galeno hanc ſtatuenti duplaturam, & in ea venæ tunicam locanti omnino conſentiam, à calumniatore ea duo pernegante diſſentiam. Huc pertinet quòd vaſa inter membranarum duplaturas natura diſtribuere ſolet, vbi erant periclitatura, vt oſtendit meſaræon, epiploon, vterus, chorion, & aliæ partes non paucæ. De inſtrumento olfactus antè eſt dictum, & de arteriæ carotidis præcipuæ foramine, & de plexu retiformi, & alijs quibuſdam ad cerebrum pertinentibus, ac etiam de ſphenoeidis foraminibus ſub glandula pituitaria: ſolùm reſtat dicendum ventres cerebri anteriores ad vſque foramina ethmoeidea homini præſertim pituita cerebri multa farto penetrare, cum Galeno, contra calumniatoris ſententiam. Grandioribus autem, & nihil aut parum mungentibus, promptè hos meatus occæcari ob cerebri mollitiem, & coaleſcere, tuncque canales duo decliues, vnus à medio ventriculo, alter ſæpe à meatu tendente ex medio ventriculo in poſtremum totius cerebri excrementa per foramina oſsis ſphenoeidis, & per palatum in os eructant, & ſoli purgando cerebro ſufficiunt quando animal omnino rectè habet, alimentumque bellè vincit, ac percoquit. Nos illam cauitatem ventriculorum anteriorum ad foramina vſque ethmoeidea continuam in pueris & grandibus natu ſæpe obſeruauimus, & latiſsimã in aliquibus ſpectauimus, qui caro aut catoche mortui erãt, repletis oĩno humore ſeroſo ventriculis. Eos meatus ſequimur paulatim diducendo lata ſpecillorum aut paruorum baculorum parte: & frequenter obſtructos à pituita putri deprehendimus. Vt autem pateant magis, ventres cultro minimum apertos per tubum inflamus, vt ipſi & cerebrum ad magnitudinem naturali propinquam redeat, hoc eſt, vt cranio magnitudine æquetur. Mortuis enim cerebrum contrahitur plurimum, nec amplius cranium implet, vt viuis: quanquam inter viuos neque caluis replere etiam Galenus affirmat. Depulſis omnino aliquot veſani cuiuſdam calumnijs in Hippocratis Galenique

Lib. 8. vſus part.

niq́ue nomen impiè effuſis, lineas ſeptem continuas calumniatoris ex capite 43. ſui libri ſecundi de manus partibus cuiuis manifeſtiſsimis explicaram, aut verius expurgaram tot propè vitijs quot ſunt lineæ, & in commentarium coëgeram, quem prædictis annectere ſtatueram: ſed cùm viderem omnia non modò in eo capite, ſed in cæteris quoque ab eo calumniatore ſcriptis, tam multis & magnis vitijs ex grammatices & ex aliarum quoque diſciplinarum & phyſiologiæ ignoratione plena adeò, vt Augiæ ſtabulum repurgare eſſet multò facilius, quàm centonem huius ex furtis conſutum, & calumnijs fartum, mendis etiam inſignioribus tantùm emaculare, mutato conſilio ſupprimendum cẽſui. Videtis lectores pij & candidi, eruditionis ſolidæ nihil ex farragine hac calumniatoris verboſiſsima eſſe ſperãdum: in qua qui errata quærit, per mare quærit aquam. Eat nunc impius iſte calumniator quò dignus eſt, vocet in certamina diuos, in præceptores calumnietur, ſuas perflet gloriolas, & librum ſuum clamitet poſt ſua victurum fata ſuperſtes opus, ſe in cœtu imperitorum, rei anatomicæ principem appellari contendat. En Adraſteia Nemeſis illius capiti inſultat, impiam ferit conſcientiam: vindictam maledictorũ in præceptores & calumniarum exigit. Cæſaream Maieſtatem imploro, vt monſtrum hoc ignorantiæ, ingratitudinis, arrogantiæ, impietatis exemplar perniciosiſsimum domi ſuæ natum & educatum, vti eſt commeritum, malè mulctet, ac omnino comprimat, ne ſuo peſtilenti halitu Europam reliquam venenet. Nam Gallos quoſdã & Germanos & Italos ſua exitiali ſpuma iam infecit, ſed eos rei anatomicæ & reliquarum opinor medicinæ partium ignaros: quæ ſi ipſis vel librorum Galeni lectione, vel potius multarum anatomarum tractatione, aut ſaltem inſpectione, fuiſſet vel per tranſennam cognita, nunquam inconſulti tam repentè duces ſuos longe optimos reliquiſſent, & ſe in ignorantiæ caſtra conieciſſent, homines digni commiſeratione & venia, ſi modò à nobis admoniti, iuſtitiam, & naturæ in nobis artem diſcant, & non temnere diuos præceptores ſuos: ſi quoque falſis dogmatibus relictis huius transfugæ, ad præceptorum ſuorum vexilla redeant, à quibus liberaliſsimè,

mè, humaniſsimè, integerrimè hactenus fuerant inſtituti, & deinceps quoque perpolientur. Sed eos iam audio in gratiam cum ſuis præceptoribus reditum percupere, & nouo militiæ ſacramento obligari velle. Id quod omnibus tū medicis tum medicinæ ſtudioſis, certò ſcio, iucundiſsimū eſt futurum. Vos igitur rediuiui & pij Aſclepiadæ, Galli, Germani, Itali, obteſtor vt mihi annis & laboribus feſſo velut ſuccenturiati adſitis, & ſi quid eſt defenſionis præceptorum veſtrorum reliquum, id perficiatis: aut ſi hæc bellua Lernæ nouum aliquod caput extulerit, mox comprimatis, & hanc immani mole Chimæram, hanc rudem indigeſtamque farraginis colluuiem & cloacam, opus à vobis legi indigniſsimum, laceretis, conculcetis, Vulcano deuoueatis, etiam ſi in eo Galeni plumæ ſint quàm plurimæ, ſed quæ fœda barbarie velut conſpurcatæ, authoris ſplendorem iam amiſerunt. Quas ſi ſuſtuleritis, & calūniarum pelagus, & inuenta pauca vel falſiſsima vel leuiſsima reliquum eſt nihil præter chartam certè miſerrimam. Quòd ſi quid in ea farragine verboſiſsima à calumniatore inuentum eſt lectione dignum (nemo enim ſcriptor eſt omnino peſsimus) id tam eſt exiguum vt papyri folio comprehendi queat, ſi modò picturas vmbris tectiſsimas, & characteras picturis deſtinatos, rem ſuperſtitioſam, & obſcuriſsimam, & planè inutilem, pro nihilo duxeritis, & tales tum picturas tum characteras remoramento eſſe magis quàm compendio æſtimaueritis, præſertim medicis, quorum ars longa eſt, ac vita breuis, & qui partium corporis humani omnium naturam viſu & tactu ex multis anatomis perſpectam habere debent, non ex picturis aut libris ſolis, cùm nec naucleru m, nec imperatorem, nec alios quoſuis artifices hac vmbratili exercitatione formare liceat: ſed ne plantas quidem ipſas pingi Galenus permiſerit, initio libri ſexti de facul. ſimpl. med.

Hiſ

Digitized by Google

His ſermonibus impios Gigantas
Naturæ obſtreperos probamus, omni
Tormento quatimus, gradu ſuperbo
Deturbamus, humanus & ſuorum
Saxis montium, & in ſuo Galenum
Naturæ columen ſtatu tenemus,
Ac diuum Hippocratem, quibus verendis
Multùm numinibus ſacros honores
Vos Aſclepidæ pij dicate,
Ac defendite ab impijs lauernis.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE